

50

L<sup>P</sup> COELII LACTANTII FIRMIANI  
 DIVINARVM INSTITVTIONVM ADVERSVS  
 GENTEIS, LIBER QVARTVS, IN QVO  
 DOCETVR QVAE RELIGIO, ET  
 QVAE SAPIENTIA VE-  
 RA SIT.

Quomodo unius seculi error in omnem sit transfusus etatem, & orbem occupauerit: & Græcia post gloriam septem sapientum studio perquirend.e ueritatis exarscrit, & studiosi eius se maluerint philosophos, quam sapientes appellari. Cap. I



OGITANTI mihi, & cum animo meo saepe reputati, priorem illum generis humani statum: & mirum pariter & indignum uideri solet, quod unius seculi stultitia religiones uarias suscipientis, deosq; multos esse credentis, in tantâ subito ignorantem sui uentum est, ut ablata ex oculis ueritate, neque religio ueri dei, neque humanitatis ratio teneretur, hominibus non in cœlo summum bonum quaerentibus, sed in terra. Quam ob causam profecto seculorum ueterum mutata felicitas est. Cœperunt enim religio parente & constitutore omnium deo, insensibilia digitorum suorum figmenta uenerari. Quæ prauitas quid fecerit, quid malorum attulerit, res ipsa declarat: Auersa nanque à summo bono, quod ideo beatum et sempiternum est, quia uideri, tangi, cōprehendi non potest, & à uirtutibus ei bono congruentibus, quæ sunt æque immortales, ad hos corruptos & fragiles deos lapsi, & studentes ijs rebus, quibus solum corpus ornatur, alitur, delectatur, mortem sibi perpetuam cum dijs & cum bonis corporalibus quaesierunt: quia morti corpus omne subiectum est. Infecuta est igitur huiusmodi religionis iniustitia & impietas, sicuti fuerat necesse. Desierunt enim uultus suos in cœlum tollere: sed deorsum mentes hominum depresso, terrenis ut religioibus, sic etiam bonis inhærebant. Secutum est dissidium generis humani, & fraus, & nefas omne: quia spretis sempiternis atque incorruptionis bonis, quæ sola debent ab homine concupisci, temporalia & brevia maluerunt: maiorq; ad malum hominibus fides fuit, qui prauum recto, quia præsentius fuerat, prætulerunt. Sic humanam uitam prioribus seculis in clarissima luce uersatam, caligo & tenebrae comprehenderunt. Et quod huic prauitati cōgruens erat, postquam sapientia sublata est, tum demum sibi homines sapientum nomen uenidicare cœperunt. Tum autem nemo sapiens uocabatur, quum omnes erant. Vt namq; nomen illud publicum aliquando, quamuis ad paucos redactum, tum uim suam retineret: possent enim fortasse pauci illi uel ingenio, uel autoritate, uel assiduis hortamentis liberare populū uithjs & erroribus: sed adeò in totum sapientia ceciderat, ut ex ipsa nominis arrogantia, nullum eorum qui uocarentur, apparuerit fuisse sapientem. Et tamen priusquam hæc philosophia quæ dicitur, esset inuenta, septem fuisse traduntur primi omnium: qui quia de rebus naturalibus quaerere ac disputare sunt ausi, sapientes haberi, appellariq; meruerunt. O miserū calamito sumq; seculum, quo per orbem totum septem soli fuerunt, qui hominum uocabula cierentur. Nemo enim potest iure dici homo, nisi qui sapiens est. Sed si cæteri omnes præter ipsos stulti fuerūt, ne illi quidem sapientes: quia nemo sapiens esse uerē, iudicio stultorum potest. Adeò ab his absuit sapientia, ut ne postea quidem crescente doctrina, & multis magnisq; ingenij in idipsum semper intentis, nō

L. COE LII LACTANTII

c potuerit perspici ueritas, & comprehendendi. Nam post illorum septem sapientum gloriam incredibile est, quanto studio inquirendae ueritatis Græcia omnis exarserit. Ac primum nomen ipsum sapientiae arrogans putauerunt: seque non sapientes, sed studiosos sapientiae uocauerunt. Quo facto, & illos qui temere sapientum sibi nomen asciuerant, erroris stultitiae damnauerunt, & se quoque ipsos ignorantiae, quam quidem non diffitebant. Nam ubi cunctæ rerum natura ingenij eorum quasi manus opposuerat, ne rationem possent aliquam reddere, testificari solebant nihil se scire, nihil cernere. Vnde multo sapientiores inueniuntur, qui se alii qua ex parte uiderunt, quam illi qui sapere crediderant.

*Quod ibi querenda est sapientia, ubi gentibus est stultitiae titulus: & quare Pythagoras & Plato literarum perscrutatores non accesserunt ad Iudeos.*

Cap. II

 V are si neque illi fuere sapientes, qui sunt appellati, neque posteriores, qui non dubitauerunt insipientiam confiteri: quid superest, nisi ut alibi sit querenda sapientia, quando non est, ubi quererebatur, inuenta? Quid autem putemus fuisse causæ, cur tot ingenij, totque temporibus summo studio & labore quæsita non reperiret, nisi quod eam philosophi extra fines suos quæsierunt? Qui quoniam peragratis & exploratis omnibus, nusquam ullam sapientiam comprehendenderunt: & alicubi esse illam necesse est: apparent illuc potissimum esse querendam, ubi stultitiae titulus appetet: cuius uelamento deus, ne arcum sui diuinæ operis in proposito esset, thesaurum sapientiae & ueritatis abscondit. Vnde equidem solemus mirari, quod quū Pythagoras, & postea Plato, amore indagandæ ueritatis accensi, ad Aegyptios, & Magos, & Persas usque penetratum profecti.

D tiam in religione uersari) & ad Iudeos tamen non accesserunt, penes quos tunc solos erat, & quō facilius ire potuissent. Sed auersos esse arbitror diuina prouidētia, ne scire possent ueritatem: quia nondū fas erat alienigenis hominibus religionem dei ueri, iustitiamque cognoscere. Statuerat enim deus appropinquāte ultimo tempore, ducem magnū cœlitus mittere: qui eam perfido ingratoque populo ablatam, exteris gentibus reuelaret. Qua de re in hoc libro aggrediar disputare, si prius ostendero sapientiam cum religione sic cohaerere, ut diuelli utrumque non possit.

*Quod sapientia & religio inseparabiliter coherent: & quod necesse est eosdem non diversos esse secretarios sapientiae & numinis sacerdotes: Et quare contra naturam fit colere plures deos: Et quomodo necessitate naturæ oportet dominū esse unū unicuique, sic & patrem unum.*

Cap. III

 Eorum igitur cultus in priore libro docui non habuisse sapientiam ullo modo: quia diuinum animal hominem terrenis, fragilibusque substeruit. Sed quia nihil ibi differitur, quod proficiat ad mores excolendos, uitamque formandam, nec habet inquisitionem aliquam ueritatis, sed tammodo ritum colendi: qui non officio mentis, sed ministerio corporis constat. Et ideo non est illa uera religio iudicanda: quia nullis iustitiae uirtutisque praceptis erudit, efficitque meliores. Itaque philosophia, quia in illis religionem, id est summam pietatem non habet, non est uera sapientia. Nam si diuinitas, quæ gubernat hunc mundum, incredibili beneficio genus hominum sustentat, & quasi paterna indulgentia souet, uult profecto gratia sibi referri, & honorē dari. Nec constare homini ratio pietatis potest, si cœlestibus beneficijs extiterit ingratus, quod non est utique sapientis. Quoniam igitur (ut dixi) philosophia & religio deorum disiuncta sunt, & longe discreta: siquidē alij sunt professores sapientiae, per quos utique ad deos non adiunguntur: alij religionis antistites, per quos sapere non discitur: apparent nec illam esse ueram

*Philosophia cum religione non potest esse coniuncta.*

**A**ueram sapientiam, nec hanc religionē. Idcirco nec philosophia potuit ueritatem comprehendere, nec religio deorū rationem sui, qua caret, reddere. Vbi autem sapientia cum religione inseparabili nexu cohæret, utrumq; uerum esse necesse est: quia & in colendo sapere debemus, id est scire quid nobis, & quomodo sit colendum: & in sapiendo colere, id est, re & actu quod scierimus, implere. Vbi ergo sapientia cum religione coniungitur: Ibi scilicet, ubi deus colitur unus, ubi uita, & actus omnis ad unum caput, & ad unam summā refertur. Deniq; idem sunt doctores sapientiæ, qui & dei sacerdotes. Nec tamen moueat quenquam: quia s̄epe factum est, & fieri potest, ut philosophus aliquis deorum suscipiat sacerdotium: quod quū sit, non tamen coniungitur philosophia cum religione: sed & philosophia inter sacra cessabit, & religio, quando philosophia tractabit. Illa enim religio muta est, non tantū quia mutorū est, sed quia ritus eius in manu, & in digitis eius est, & nō in corde, aut lingua, sicut nostra quae uera est. Idcirco & in sapientia religio, & in religione sapientia est. Ergo nō potest segregari: quia sapere nihil aliud est, nisi deum uerū iustis ac pijs cultibus honorare. Multorum aut deorum cultus non esse secundum naturam, etiam hoc argumento colligi potest & cōprehendi. Omnem deum, qui ab homine colitur, necesse est inter solennes ritus & precatiōes patrem nuncupari, non tantū honoris gratia, sed & rationis: & quod antiquior est homine, & quod uitam, salutē, uictūq; præstat, ut pater. Itaq; & Iupiter a precantibus pater uocatur: & Saturnus, & Ianus, & Liber, & cæteri deinceps: quod Lucillus in deorum concilio irrideret:

Vt nemo sit nostrūm, quin aut pater optimus diuūm:

Aut Neptunus pater, Liber, Saturnus pater, Mars,

**B** Ianus, Quirinus pater nomen dicatur ad unum.

Quod si natura nō patitur, ut sint unius hominis p̄kures patres (ex uno enim pro creatur) ergo deos etiā multos colere cōtra naturā est, contrāq; pietatē. Vnus ergo colendus est, qui potest uerus pater nominari. Idem etiam dominus sit necesse est: quia sicut potest indulgere, ita etiam coērcere. Pater ideo appellandus est, quia nobis multa & magna largitur. Dominus ideo, quia castigandi & puniendi habet maximā potestatem. Dominū uero eundem esse, qui sit pater, etiam iuris ciuilis ratio demonstrat. Quis enim poterit filios educare, nisi habeat in eos dominij potestatē? Nec immerito paterfamilias dicitur, licet tantū filios habeat: uidelicet nomen patris cōplectitur etiam seruos, quia familiam sequitur: & nomen familiae cōplectitur etiam filios, quia pater antecedit: unde apparet eundem ipsum & patrem seruorū, & dominum filiorū. Deniq; & filius manumittitur tanquā seruus, & seruus liberatus patroni nomen accipit tanquā filius. Quod si propterea paterfamilias nominatur, ut appareat eum duplīci potestate præditū: quia & indulgere debet, quia pater est: et coērcere, quia dominus: ergo idem seruus est, qui & filius, & idem dominus qui & pater. Sicut igitur naturæ necessitate non potest esse nisi unus pater, ita nec dominus nisi unus. Quid enim faciat seruus, si multi domini diuersa imperauerint? Ergo contra rationē, contrāq; naturā sunt religiones multorum deorū. Siquidē nec patres multi possunt esse, nec domini: deos aut, & patres & dominos nuncupari necesse est. Teneri ergo ueritas nō potest, ubi homo idem multis patribus dominisq; subiectus est, ubi animus in multa dispersus, hic atq; illuc diuagatur. Nec habere ullam firmitatē religio potest, quando certo & stabili domicilio caret. Cultus ergo deorū ueri esse non possunt. Eodem modo, quo matrimonium dīci non potest, ubi mulier uiros multos habet, sed hæc aut meretrix, aut adultera nominabitur; à qua enim pudor, castitas, fides abest, uirtute careat

Paterfamilias.

C necesse est. Sic & religio deorum impudica est, & incerta: quia fide caret: quia homines ille instabilis & incertus, caput atque originem non habet.

*Quod sapientia spectat ad filios, religio ad seruos, & utriusque fons deus unus, solus, & uerus, qui ingratum abdicat filium, & fugituum punit seruum.*

Cap. IIII

**V**ibus rebus apparet quam inter se coiuncta sint sapientia & religio. Sapientia spectat ad filios, quae exigit amorem: Religio ad seruos, quae quidem exigit timorem. Nam sicut illi patrem diligere debent & honorare, sic hi dominum colere & uereri. Deus autem qui unus est, quoniam utramque personam sustinet, & patris, & domini: & amare eum debemus, quia filius sumus: & timere, quia serui. Non potest igitur nec religio a sapientia separari, nec sapientia a religione secerni: quia idem deus est, qui & diligi, & intelligi debet, quod est sapientiae: & honorari, quod est religionis. Sed sapientia praecedit, religio sequitur: quia prius est deum scire, cōsequens colere. Itaque in duobus nominibus una uis est, quāuis diuersa esse uideatur. Alterū enim positum est in sensu, alterum in actu: sed tamen similia sunt duobus riuis uno fonte manantibus. Fons autem sapientiae & religionis deus est: a quo hi duo riui si aberrauerint, arescant necesse est: quem qui nesciunt, nec sapientes esse possunt, nec religiosi. Sic sit, ut philosophi, & qui deos colunt, similes sint aut filii abdicatis, aut seruis fugitiis: quia neque illi patrem querunt, neque hi dominū: & sicut abdicati hereditatem patris non afflent, & fugitiui impunitatem, ita neque philosophi immortalitatem accipiunt, quae est regni coelestis hereditas, id est summum bonum, quod illi maxime querunt: neque cultores deorum poenam sempiternam mortis effugient, quae est animaduersio ueri domini aduersus fugitiuos suā maiestatis ac nominis. Deum uero esse pa-

**D**rum, eundemque dominū, utriusque ignorauerūt, tam cultores deorum, quam ipsi professores sapientiae: quia aut nihil colendū omnino putauerūt, aut religiones falsas approbauerunt: aut etiam si uim potestatemque summī dei intellexerūt, ut Plato, qui ait unum esse fabricatorem mundi deū: & M. Tullius, qui fatetur hominē præclara quadā conditione a summo deo esse generatum: tamen ei debitum cultum tanquam summo patri non reddiderūt, quod erat consequens, ac necessarium. Deos autem neque patres, neque dominos esse posse, non tantum multitudine (ut supradictum) sed etiam ratio declarat: quia neque fictū esse ab his hominē traditū, neque deos ipsos antecedere originē hominis inuenitur: siquidē fuisse in terra homines anteque Vulcanus, & Liber, & Apollo, & ipse Iupiter nascerentur, apparet. Sed neque Saturno fictio hominis, neque Celo patri eius assignari solet. Quod si nullus eorum qui colunt, formasse a principio, atque instituisse hominē traditū, nullus igitur ex his pater hominis nuncupari potest, ita ne deus quidē: ergo fas non est uenerari eos, a quibus non sit homo generatus: quia neque a multis potest generari. Vnus igitur ac solus coli debet, qui Iouē, qui Saturnū, qui cœlū ipsum terrāque antecessit. Is enim necesse est hominem figurauerit, qui ante hominem cœlū terrāque perfecit. Solus pater uocādus est, qui creauit: solus dominus nuncupandus, qui regit, qui habet uitæ ac necis ueram ac perpetuā potestatē: Quem qui non adorat, & insipiens seruus est, qui dominū suū aut fugiat, aut nesciat: & impius filius, qui suum uerū patrem uel oderit, uel ignoret.

*Quod oracula prophetarū solicite inspicienda sunt, quos diuinitus esse locutos rerū multo ante prædictarum conuincit euentus: Et quo tempore prophetauerit Moyses: quot annis Iosue rexerit populu: quot annis præfuerint iudices: quandiu regnauerint reges: quo tempore dominatus fit*

*Cyrus: quod in prophetis est sapientiae fundamētum.*

Cap. V

**V**nc quoniā docui sapientiā, & religionē non posse dīduci, supereft ut de ipsa religione ac sapientia differamus. Sentio quidē quam sit difficultas de rebus

Dij originem  
hominis non  
anteceſſerunt.



A de rebus cœlestibus disputatio: sed tamē audendū est, ut illustrata ueritas pateat, multiq; ab errore atq; interitu liberent: qui eam sub uelamento stultitiae latenter aspernant ac respuunt. Sed priusquam incipiā de deo, & operibus eius dicere, pauca mihi de prophetis ante dicenda sunt, quorū testimonij nūc uti necesse est, quod in prioribus libris ne facerē, temperauit. Ante omnia qui ueritatē studet cōprehendere, nō modō intelligendis prophetarū uocibus animū debet intendere: sed etiā tēpora, per quae quisq; illorū fuerit, diligentissime inquirere, ut sciat & quae futura prædixerint, & post quot annos prædicta cōpleta sint. Nec difficultas in his colligendis est ulla. Testati enim sunt sub quo quisq; rege diuini spiritus fuit passus instinctū. Multiq; scriptos libros de tēporibus ediderūt, initū facientes à propheta Mose, qui Troianū bellū nō nongentos ferē annos antecessit. Is aut, quū <sup>septingentos</sup> per annos quadraginta populū rexisset, successore habuit Iosuen, qui septē & ui <sup>Status regni</sup> ginti annis tenuit principatū. Exinde sub iudicibus fuerūt per annos trecētos se- <sup>Iudeorū post</sup> ptuaginta. Tum mutato statu reges habere cōperūt, quibus imperiū tenentibus Moyſen.

per annos quadrūgentos LX, usq; ad Sedechia regnū, oppugnatū à rege Babylo nico, captiū ludi diuturnū seruitium pertulerūt, donec septuagesimo post anno Cyrus maior captiuos ludiōs terris ac sedibus suis redderet: qui per idem tēpus in Persas suscepit imperiū, quo Romæ Tarquinius Superbus. Quare quū omnis temporū series ex Iudaicis, & ex Græcis, Romanisq; historijs colligatur, etiam sin gularū prophetarū tempora colligi poslunt: quorū sanē ultimus Zacharias fuit, quē cōstat sub Dario rege, secūdo anno regni eius, octauo mense cecinisse. Adeo antiquiores esse græcis scriptoribus prophetæ reperiuntur. Quæ omnia eo profe ro, ut errorem suum sentiant, qui scripturā sacram coarguere nituntur, tanquā no

B uam, & recens fictam: ignorātes ex quo fonte sanctæ religionis origo manauerit. Quod si quis collectis perspectisq; temporibus fundamentū doctrinæ salubriter iecerit, & ueritatem penitus cōprehendet, & errorem cognita ueritate deponet.

*Quod deus creator omnium coomnipotenter genuit filium, & per eum creauit uniuersa. Testes sunt Sibylla, Trismegistus, & oracula consona prophetis, & sapientissimo Solomoni. Cap. VI*



Eus igitur machinator constitutorq; rerum, sicuti in secundo libro di ximus, ante quam præclarū hoc opus mundi adoriretur, sanctum, & incorruptibilem, & incōprehensibilem spiritum genuit, quem filium nuncuparunt. Et quamuis alios postea innumerabiles per ipsum crea uisset, quos angelos dicimus, hunc tamen solum primogenitū diuini nominis ap= pellatione dignatus est, patria scilicet uirtute ac maiestate pollentem. Esse autem summi dei filium, qui sit potestate maximā præditus, non tantum congruentes in unum prophetarum uoces, sed etiam Trismegisti prædicatio, & Sibyllarum uati= ticinia demonstrant. Hermes in eo libro qui ὁ λόγος τέλφ inscribitur, his usus est uerbis: οὐκέτι πάντων ποιεῖται, ὅμηρον καλέσῃ νεομίκαυλον, ἐπει τοῦ δύνατον ἐποίησε θεῷ δρατὸν οὐκέτι αἰδητόν. αἰδητόν μὲν φυμαὶ οὐδέ τοι αἰδεῖσθαι αὐτὸν ( πολὺ γέρη τοῦτο οὐκέτι πότερον αὐτὸς αἰδοῖστο ) ἀλλ' οὐδὲ αἰδητοὶ ιδοπέμπει οὐκέτι εἰς νόην. οὐδὲ οὐδὲ τοῦτο ἐποίησε πρῶτη οὐκέτι μόνον οὐκέτι οὐδὲ πάντων εφανύ οὐκέτι πληρίεσται πάντων οὐκέτι οὐδὲ πάντων εφίλησαν οὐκέτι μόνον τόπῳ. Sibylla Erithræa in carminis sui prin cipio, quod à summo deo exorsa est, filium dei ducem & imperatorem omnium his uersibus prædicat:

*Πανταχόφου κτίσιν οὐσι γλυκὺ τανδύμα ἄπται  
καθτέτερ, λύγυντηρα θεῷ πάντων ἐποίησε,*

Etrursus in fine eiusdem carminis;

C Αὐτῷ τοι δόκει τὸν τοιούτον γέραιον.

Etalia Sibylla præcipit hunc oportere cognosci:  
αὐτῷ τοι γίνωσκε θεόν τούτον.

Videlicet & ipse est dei filius, qui per Solomonem sapientissimum regem diuino spiritu plenū locutus est. Ea subiecimus: Deus condidit me in initio suarū viarum in opera sua ante secula. Fundauit me in principio antequam terram faceret, ante quam abyssos constitueret, priusquam prodirent fontes aquarū, ante omnes colles genuit me. Dominus fecit regiones & terras inhabitabiles sub cœlo. Quū pararet cœlos, aderam illi, & quū lecerneret suam sedem, quū super uentos faceret ualidas nubes, & quū confirmatos poneret montes sub cœlo, quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram penes illum disponens. Ego eram cui adgaudebat; quotidie autem iucundabar ante faciem eius, quū lætaretur orbe perfecto. Idcirco autem Trismegistus θεομάρτυρα τῷ θεῷ dixit. Et Sibylla σύμβολον appellat, qui tanta sapientia & uirtute sit instructus à deo patre, ut consilio & manibus uteretur in fabricatione mundi.

Quod nomen filij, & angelis & hominibus sit ignotū, licet nomen habeat quod ab utrisq; adoratur: & unde dicatur Iesus, & unde Christus. Cap. VII



Ortasse quereret aliquis hoc loco, quis sit iste tam potens, tam deo cherus, & quod nomen habeat, cuius prima natuitas nō modò antecesse rit mundum, uerum etiam prudentia disposuerit, uirtute cōstruxerit. Primum, scire nomen eius non cōuenit hominibus, necq; angelis quidem notum est, qui morantur in cœlo: sed ipsi soli, ac deo patri. Nec ante id publicabitur, ut est sanctis literis traditum, quam dispositio dei fuerit impleta. Deinde,

D nec enunciari posse hominis ore, sicut docet Hermes hæc dicens: αἰτία δὲ τοῦτο τῷ αἰτίᾳ οὐ θεός οὐ καγύρης οὐ αθέτης οὐ θεός προσύνεγκρην, οὐ τὸ δοκιμαστὸν οὐ τὸν πόνον αὐθεωπίνης σόματος λαληθεῖσα. Et paulo post ad filium: Εἰ γάρ οὐ τὸν πόνον ἀπέρριψε λόγος σοφίας ποθεὶ τῷ μόνῳ κνεῖσθαι, οὐ εἴπει τὸν αὐθεωπόνητον. Sed quāuis nomen eius, quod ei à principio pater summus imposuit, nullus aliud præter ipsum sciat, habet tamen & inter angelos aliud uocabulum, & inter homines aliud. Iesus quippe inter homines nominatur: Nam Christus non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis & regni: sic enim Iudei reges suos appellabant. Sed exponenda huius nominis ratio est propter ignorantium errorem, qui eum immutata litera χριστόν solent dicere. Erat Iudeis ante præceptum, ut sacrum conficerent unguentum, quo perungi possent ij, qui uocabantur ad sacerdotium, uel ad regnum. Et sicut nunc Romanis indumentum purpuræ insigne est regiae dignitatis assumptæ, sic illis uncio sacri unguenti nomen ac potestatē regiam cōferebat. Verū quoniam Græci ueteres χριστού dicebant ungi, quod nunc ἀλείφεσθαι, sicut indicat Homericus uersus ille:

αὐτὸς δὲ δυωὰ λαθεῖται καὶ χριστού ἐλαῖον.

ob hanc rationem nos eum Christum nuncupamus, id est uncium, qui Hebraice Messias dicitur. Vnde in quibusdam Græcis scripturis, quæ male de Hebraicis interpretatae sunt, ἀλειμπλίθη, id est ungendo curatus scriptum inuenitur, ἀλείφεσθαι. Sed tamen utrolibet nomine rex significatur: non quod ille regnum hoc terrenū fuerit adeptus, cuius capiendi nondum tempus aduenit, sed quod cœlestē ac sempiternum est: de quo differemus in ultimo libro. Nunc uero de prima eius natuitate dicamus.

Quod

Christi nomen  
unde deductū.

A Quod filius bis natus est, eternaliter de patre, temporaliter de virginem matre, sed nativitate inexcoigitabilis & ineffabili: Et quare dicatur uerbum: & in quo ab alijs angelis differat: & quare illi non dicantur uerbu dei uel uerba: & quare hominis spiritus dissolubilis: & quid David & Salomon prophetauerint de hoc uerbo: Et quod Salomon praeceperit Troianum bellum, & quid Ioannes Euangelista de eodem uerbo.

Cap. VIII

**L**N primis enim testificabitur illum bis esse natum: primū in spiritu, postea in carne. Vnde apud Hieremiā ita dicitur: Priusquam te formarem in utero, noui te. Et item apud ipsum: Beatus qui erat antequam nasceretur: quod nulli alij contigit praeter Christo. Qui quū esset à principio filius dei, regeneratus est denuo secundū carnem: quæ duplex natuitas eius magnū intulit humanis pectoribus errorē, circūfuditq; tenebras etiā ijs, qui ueræ religionis sacramenta retinebāt. Sed nos id plane dilucideq; monstrabimus, ut amatores sapientiae facilius ac diligentius instituan̄. Qui audit dei filii dīci, nō debet tantū nefas mente cōcipere, ut existimet ex cōnubio ac permīstione fœminæ alicuius deū procreasse: quod non facit nisi animal corporale mortiç subiectū. Deus aut̄ quū solus adhuc esset, cui permīscere se potuit: aut quū esset tantæ potestatis, ut quicquid uellet efficeret, utiq; ad creandū societate alterius nō indigebat: nisi forte existimabimus deū, sicut Orpheus putauit, & marem esse & fœminā: quod aliter generare nequiuferit, nisi haberet uim sexus utriusq;, quasi ut ipse secū coīret, aut sine coītu non potuerit procreare. Sed Hermes in eadem fuit opinione, quū dicit ἀνταρρητοὶ οὐκ αὐτοὺς τορπεῖσθαι. Quod si ita esset, ut à prophetis pater dīcīt, sic etiā mater dīceret. Quomodo igitur procreauit: Primiū, nec sciri à quoquā possunt, nec narrari opera diuina, sed tamen sanctæ literæ docent: in quibus cautū est, illum dei filii,

B dei esse sermonē: itemq; cæteros angelos dei spiritus esse. Nam sermo est spiritus cum uoce aliquid significāte prolatuſ. Sed tamē quoniā spiritus & sermo diuersis partibus proferunt, siquidem spiritus naribus, ore sermo procedit, magna inter hunc dei filii, cæteroscq; angelos differentia est. Illi enim ex deo taciti spiritus exierunt, qui non ad doctrinā dei tradendam, sed ad ministeriū dei creabant. Ille uero quū sit et ipse spiritus, tamē cum uoce ac sono ex dei ore processit, sicut uerbū: ea scilicet ratione, quia uoce eius ad populum fuerat usurus: id est quod ille magister futurus esset doctrinæ dei, & cœlestis arcani ad hominē † proferēdi. Quod ipsum † preferendi primo locutus est, ut per eum ipse ad nos loqueretur: & ille uocem dei ac uoluntatē nobis reuelaret. Merito ergo sermo, & uerbū dei dīcīt: quia dominus procedentē de ore suo uocalem spiritū, quem non utero, sed mente cōceperat, inexcoigitibili quadā maiestatis suæ uirtute ad effigiem, quæ proprio sensu, ac sapientia uigeat, cōprehēdit: & alios item spiritus in angelos figurauit. Nostrī spiritus dissolubiles sunt: quia mortales sumus: Dei aut̄ spiritus & uiuunt, & manent, & sentiunt: quia ipse immortalis est, & sensus & uitæ dator. Nostræ uoces licet auræ misceantur, atq; euaneant, tamen plerunq; manent literis cōprehensæ: quāto magis dei uocem credendū est & manere in æternū, & sensu ac uirtute comitari, quam de deo patre tanquam riuus de fonte traduxit. Quod si quis miratur ex deo deum prolatione uocis ac spiritus potuisse generari: si sacras uoces prophetarum cognouerit, desinet profectō mirari. Solomonē, patrēq; eius Dauid porētissimos reges fuisse, & eosdem prophetas, etiā ijs fortasse sit notum, qui diuinæ literas nō attigerunt: quorum alter qui posterius regnauit, Troianæ urbis excidiū centū & quadraginta annis antecessit. Huius pater diuinorum scriptor hymnorū in psalmo trigesimo secundo sic ait: Verbo dei cœli solidati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorū. Item rursus in psalmo quadragesimoquarto: Eructauit cor meum uerbū bonum,

Qua etate Salomon uixerit,

L. COELII LACTANTII

c dico ego opera mea regi. Contestans uidelicet, nulli alijs opera dei esse nota, nisi filio soli, qui est uerbum dei, & quem regnare in perpetuum necesse est. Item Solo mon ipsum uerbum dei esse demonstrat, cuius manibus opera ista mundi fabricata sunt: Ego, inquit, ex ore altissimi prodiui ante omnē creaturā: ego cœlos feci, ut oriatur lumen indeficiens, & nebula texi omnē terrā. Ego in altis habitaui, & thronus meus in columna nubis. Ioannes quoque ita tradidit: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil.

*Quod melius à Græcis λόγος, quam à Latinis uerbum: & quid deo senserint gentiles.*

*philosophi, Zenon & Trismegistus.*

Cap. IX



Ed melius Græci λόγος dicunt, quam nos uerbum, siue sermonem: λόγος enim & sermonē significat & rationem; quia ille est uox & sapientia dei. Hunc sermonem diuinum ne philosophi quidem ignorauerunt. Siquidem Zenon rerum naturae dispositorem, atque opificem uniuersitatis λόγος prædicat: quem & fatum, & necessitatem rerum, & deum, & animum Iouis nuncupat: ea scilicet consuetudine, qua solent louem pro deo accipere. Sed nihil obstant uerba, quum sententia congruat ueritati. Est enim spiritus Trismegisti dei, quem ille animum nominauit: nam Trismegistus, qui ueritatem penè uniuersam nescio quo modo inuestigauit, uirtutē maiestatemq; uerbi sāpe descripsit: sicut declarat superius illud exemplū, quo fatetur esse ineffabilem quendā sanctūq; sermonem, cuius enarratio modū hominis excedat. Dixi de natuitate prima breuiter, ut potui: Nunc de secunda, quoniam controuersia est in ea maxima, latius differendum est, ut ueritatem scire cupientibus, lumen intelligentiae proferamus. De secunda natuitate filij, quam prophetæ multo ante prædixerunt. Et quomodo eductus sit Israël ab Aegypto: & quibus ingratis beneficijs caput bouis in memoriā Apis dei Aegyptiorū figurauerit: Et quis ordo publicarū fuerit potestatū, usq; ad dominū passionē.

Cap. X.



N primitur scire oportet homines sic à principio præcessisse dispositionem summi dei, ut esset necesse appropinquante seculi termino, dei filii descendere in terram, ut constitueret deo templum, doceretq; iustitiam: Veruntamen nō in uirtute angelī, aut potestate cœlesti, sed in figura hominis & conditione mortali: ut quum magisterio functus fuisset, trade retur in manus impiorum, mortemq; susciperet: ut ea quoque per uirtutem domita resurgeret, & homini quem induerat, quem gerebat, & spem uincendæ mortis afferret, & ad præmia immortalitatis admitteret. Hanc ergo dispositionē ne quis ignoret, docebimus prædicta esse omnia, quæ in Christo uidemus esse completa. Nemo asseuerationi nostræ fidem commodet, nisi ostendero prophetas ante multam temporum seriem prædicasse, fore ut aliquando filius dei nasceretur sicut homo, & mirabilia faceret, & cultum dei per totam terrā seminareret: et postremo patibulo figeretur, & tertia die resurgeret. Quæ omnia quum probauero eorū temporum literis, qui deum suum mortali corpore utentem uiolauerunt: quid aliud obstat, quo minus ueram sapientiam clarum sit in hac sola religione uersari? Nunc à principio totius sacramenti origo narranda est. Maiores nostri, qui erant principes Hebræorū, quum sterilitate atq; inopia laborarent, transferunt in Aegyptum rei frumentariæ gratia: ibiq; diutius cōmorantes, quum intolerabili seruitutis iugo premerentur, tum misertus eorum deus, eduxit eos, ac liberauit de manu regis Aegyptiorū, post annos trecentos triginta, duce Moysē, per quem postea illis lex à deo data est: in qua educatione ostendit uirtutem suæ maiestatis deus. Traiecit enim populum medio mari rubro, præcedente angelo atq; scindente aquā, ut populus per siccum gradī posset, quem uerius (ut ait poëta)

Curuata

Miracula Dei  
per Moysem.

A Curvata in montis faciem circumstetit unda.

Quare audit, tyrannus Aegyptiorum cum magna suorum manu insecurus est, & mare adhuc patens temere ingressus, coeuntibus aquis cum exercitu deletus est. Hebrei uero egressi, in solitudine multa mirabilia uiderunt. Nam quum sitim paterentur, iactu uirgæ rupe percussa, prossilijs fons aquæ, populumque recreauit. Quo rursus esuriente, cœlestis alimenti pluuiâ descendit: quinetiam coturnices in castra eorum uentus induxit, ut nō modò pane cœlesti, sed etiam instructioribus epulis saturarentur. Pro his tam diuinis beneficijs honorem deo nō reddiderunt: sed depulsa iam seruitute, iam siti fameque deposita, in luxuriam prolapsi, ad profanos Aegyptiorum ritus, animos transtulerunt. Quum enim Moyses dux eorum ascendisset in montem, atq; ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput bovis, quem uocant ipsi Apin, quod t̄ eos signo præcederet, figurarunt. Quo peccato ac scelere offensus deus, impium & ingratum populum pro merito poenitentia grauitibus affecit: & legi quam per Moysen dederat, subiugavit. Postea uero quū in deserta quadam parte Syriæ cōsedissent, amiserunt uetus nomen Hebrei. Et quo niam princeps eorum examinis Iudas erat, Iudæi sunt appellati: & terra quam incoluere, Iudæa. Et primo quidem non dominio regum subiecti fuerunt, sed populo ac legi ciuiles iudices præsidebant: non tamen in annum constituti sunt, sicut Romani consules, sed perpetua iurisdictione subnixi. Tum sublato iudicium nomine, potestas regalis inducta est. Verū regimen eorum iudicibus tenentibus, prauas religiones saepe suscepserant: atq; offensus ab his deus, toties alienigenis subiugabat, donec rursus poenitentia populi mitigatus, liberaret eos seruitute. Item sub regibus finitimorum bellis ob delicta uexati, postremo capti, abductique Babylonem, poenas impietatis suæ graui seruitio pependerunt, donec Cyrus ueniret in regnum, qui statim Iudæos restituit edicto. Exinde Tetrarchas habuerunt usque ad Herodem, qui fuit sub imperio Tiberij Cæsaris: cuius anno quintodecimo, id est duobus geminis consulibus, ante diem t̄ septimam Calendarū Apriliū Iudæi Christū cruci affixerunt. Hic rerū exitus, hic ordo in arcanis sanctarū literarum continetur. Sed prius ostendam qua de causa in terram uenerat Christus, ut fundamentum diuinæ religionis, & ratio clarescat.

*Quæ fuerit causa incarnationis Christi.* Cap. XI

t̄ decimum  
Quo tempore  
Christus fit  
crucifixus.



Vum saepe Iudæi præceptis salutaribus repugnarent, atq; à diuinale ge desciscerent, aberrantes ad impios cultus deorum, quum deus iustos & electos sancto spiritu implebat, prophetas in media plebe constituiens, per quos peccata ingrati populi uerbis minacibus increparerat, & nihilominus ad poenitentiā sceleris agendum hortaretur: quam nisi egissent atq; abiectis uanitatibus ad deum suum redissent, fore ut testamentū suum mutaret: id est, hæreditatem uitæ immortalis ad exteras conuerteret nationes, aliumque sibi populū fideliorē ex alienigenis congregaret. Illi autem à prophetis increpati, nō modò uerba eorum respuerunt, sed quod sibi peccata expobarentur, offensi, eos ipsos exquisitis cruciatibus necauerūt: quæ omnia diuinæ literæ signata conservant. Dicit enim propheta Hieremias: Misit uos seruos meos, prophetas antelucē mittebā, & nō audiebatis me, neq; intendebatis auribus uestris, quū dicere uobis: Conuertat unusquisque à via sua mala, & à nequissimis affectionibus uestris: et habitabit in terra ista, quā dedi uobis & patribus uestris à seculo usq; in seculū. Nolite ambulare post deos alienos, ut seruiatis eis, & ne incitetis me in operibus manuū uestrarū, ad disperdendos uos. Hesdras autem propheta, qui fuit eiusdem Cyri temporibus, à quo Iudæi sunt restituti, sic loquitur: Desciuenterūt à te, & abie-

Cerunt legem tuam post cor suum, & prophetas tuos interfecerunt, qui obtestabantur eos, ut reuerterent ad te. Item Helias in libro βασιλεῶν tertio: Aemulans æmulatus sum domino deo omnipotenti: quia dereliquerunt te filii Israël, & altaria tua demolierunt, & prophetas tuos interfecerunt gladio, & remansi ego solitarius, & querunt animam meam auferre a me. Propter has illorum impietates abdicavit eos in perpetuum: itaq; desist prophetas mittere ad eos. Sed illum filium suū primogenitum, illum opificem rerum & consiliatorem suum labi iussit e cœlo, ut religionē sanctam dei transferret ad gentes, id est ad eos qui deum ignorabant: doceretq; iustitiam, quam perfidus populus abiecerat, quod iampridem annunciauerat se esse facturū. Sic Malachias indicat, dicens: Non est mihi uoluntas circa uos, dicit dominus, & sacrificium acceptum non habeo ex manibus uestris: quoniam a solis ortu usq; ad occasum clarificabit nomen meum apud gentes. Item David in psalmo xvi, Constitues me in caput gentium: populus quem non cognoui, seruiet mihi. Esaias quoq; sic loquitur: Venio colligere omnes gentes, & linguas: & uenient, & uidebunt claritatem meam, & mittam super eos signum. Et mittam ex his conseruatos in gentes, quae longe sunt, quae noū audierunt gloriam meam, & nunciabunt claritatem meam in gentes. Volens igitur deus metatorem templi sui mittere in terram, noluit eum in potestate & claritate cœlesti mittere, ut ingratius in deum populus in errorem maximum induceret, ac poenas pro facinoribus suis lueret: qui dominum ac deum suum non receperisset, quod olim prophetæ ce-  
Esiae obitus cinerant sic esse facturum. Esaias enim quem ipsi Iudei serra consecutum crudelissi calamitosus. me necauerūt, ita dicit: Audi cœlum, & percipe auribus terra: quoniam dominus locutus est: filios genui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me: agnouit bos posse-  
D forem suum, & asinus præsepium domini sui: Israël autem me noū cognouit, & populus meus me noū intellexit. Hieremias quoq; similiter ait: Cognouit tempus suū turtur, & hirundo, & ruris passeris custodierunt tempora introitus sui, populus autem meus non cognouit iudicium domini. Quomodo dicitis sapientes sumus, & lex domini nobiscum est: Incassum facta est metatura, falsi scribæ, & cōfusi sunt: sapientes trepidauerunt, & capti sunt: quoniam uerbum domini reprobauerunt. Ergo (ut cooperam dicere) quum statuisse deus doctorem uirtutis mittere ad homines, renascie eum denuo in carne præcepit, & ipsi homini similem fieri: cui dux, & comes, & magister esset futurus. Sed tamen quoniam clemens est & pius erga suos deus, ad eos ipsos eum misit, quos oderat, ne illis in perpetuum salutis uiam clauderet: sed daret his liberam facultatem sequendi deum, ut & præmiū uitæ adipiscerentur, si eum secuti fuissent, quod plurimi eorum faciunt, atque fecerunt: & culpa sua in poenam mortis incurrerent, si regem suum repudiassem. Apud illos igitur, & ex eoru semine regenerari eum iussit, ne si fuisset alienigena, iustum possent excusationem de lege prætendere, quod eum non suscepissent: simul ut nulla omnino gens esset in terra, cui spes immortalitatis negaretur.

De conceptu & partu uirginis prædicto à prophetis. De passione, resurrectione,  
& ascensione, & iudicio. Cap. XII

**P**Escendens itaq; de cœlo spiritus ille dei, sanctam uirginem, cuius utero se insinuarer, elegit. At illa diuino spiritu hausto repleta concepit, & sine ullo attractu uiri repente uirginalis uterus intumuit. Quod si animalia quædā uento & aura concipere solere, omnibus notum est, cur quisquā mirum putet, quum spiritu dei, cui est facile quicquid uelit, grauata esse uirginem dicimus: Quod sane incredibile posset uideri, nisi hoc futurū multa ante secula prophetæ cecinissent. Solomon sic ait: Infirmatus est uterus uirginis, &

A nis, & acepit foetum, & grauata est, & facta est in multa miseratione mater uirgo. Item propheta Esaias, cuius uerba sunt hæc: Propter hoc dabit deus ipse signū: Ecce uirgo cōcipiet in utero, & pariet filiū, & uocabitur nomen eius Emanuel. Quid hoc manifestius dici potest? Legebant ista Iudæi, qui eum negauerunt: si quis nos hæc singere arbitratur, ab his requirat, ab his potissimum sumat. Satis firmum testimonium est ad probandā ueritatem, quod ab ipsis perhibetur inimicis. Emanuel nunquam uocatus est, sed Iesus, qui latine dicitur salutaris, siue saluator, quia cunctis gentibus salutifer uenit. Sed propheta declarauit hoc nomē: quod deus ad homines in carne uenturus esset. Emanuel autem significat nobiscum deus, scilicet quia illo per uirginem nato, cōfiteri homines oportebat, deum secum esse, id est in *Testimonio* terra & in carne mortali. Vnde Dauid in psalmo octogesimoquarto: Veritas, in *incarnationis Christi* quit de terra orta est: quia deus, in quo ueritas est, terrenū corpus accepit, ut terrenū uiam salutis aperiret. Item Esaias ipse: Ipsi autem non crediderunt, & exacerba uerunt sp̄iritum sanctū. Et conuersus est eis ad inimicitiam: Et ipse expugnauit & recordatus est dierū seculi, quia suscitauit de terra pastore ouium. Quis autem futurus esset ille pastor, declarauit alio loco, dicens: Exultent coeli desuper, & nubes induant iustitiam: aperiatur terra, & pullulet saluatorem. Ego enim dominus deus creauī eum. Saluator uero est (ut suprā diximus) Iesus. Sed alio loco idem propheta sic prædicauit: Ecce natus est nobis puer, & datus est nobis filius, cuius imperium super humeros eius: & uocatum est nomen eius magni consilij nuncius. Idcirco missus est à deo patre, ut uniuersis gentibus, quae sub cœlo sunt, singularis & ueri dei sanctum mysterium reuelaret ablatum perfido populo, qui aduersus deum saepe deliquit. Daniel quoq; similia prælocutus est: Videbam, inquit, in uisu noctis,

B & ecce in nubibus cœli ut filius hominis ueniens, & usq; ad uetustum dierū peruenit. Et qui assistebant obtulerunt eum, & datum est ei regnum, & honor, & imperium: & omnis populus, tribus, linguae seruient ei: & potestas eius æterna, quae nunquam transibit: & regnum eius, quod non corrumpetur. Quomodo igitur Iudæi & confitentur & sperant Christū dei: qui hunc idcirco reprobrauerunt, quia ex homine natus est. Nam quum ita sit à deo constitutum, ut idem Christus bis ueniat in terrā: semel, ut unum deū gentibus nunciet: deinde, rursus ut regnet, quomodo in secundum eius aduentum credunt, qui in primum nō crediderunt. Atqui propheta utroq; aduentus eius paucis uerbis comprehendit. Ecce, inquit, in nubibus cœli ut filius hominis uenies: Nō dixit, ut filius dei, sed filius hominis: ut ostenderet, quod carne indui deberet in terra, ut suscepta hominis figura & conditio mortalī, doceret homines iustitiam. Et quū mandatis dei functus, ueritatē gentibus reuelasset, multare etiam morte, ut inferos etiam uinceret ac resignaret, atque demum resurgens ad patrem proficeretur in nube sublatus. Adiecit enim propheta, & ait: usque ad antiquum dierum peruenit, & oblatus est ei. Antiquum dierum appellauit summum deum, cuius ætas & origo non potest comprehendendi, quia solus à seculis fuit, & erit semper in secula. Christum autem post passionē & resurrectionē ascensurum esse ad deum patrem, Dauid in psalmo centesimonono contestatus est his uerbis: Dixit dominus dominu meo, sede à dextris meis, quo adusq; ponam inimicos tuos suppedaneū pedum tuorum. Qui propheta, quum rex esset, quem appellare dominum suum posset, qui sederet ad dextram dei, nisi Christum filium dei, qui est rex regum, & dominus dominorū: Quod Esaias aperiens ostendit, dicens: Sic dicit dominus deus Christo domino meo, cuius tenui dextram: obedire ante eum gentes faciā, & fortitudinē regum disruptam. Aperiā ante illum portas, & ciuitates nō claudentur, Ego anteibo, & montes deplanabo,

*Ascensionis Christi testimonia.*

c & fores æreas conterā, & seras ferreas cōfringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, inuisibiles: ut scias quia ego sum dominus deus, qui uoco nomen tuum, deus Israël. Deniq; ob uirtutē & fidem, quam deo exhibuit in terra, datum est ei regnū, & honor, & imperiū: & omnes populi, tribus, linguae seruient ei: & potestas eius æterna, quæ nunquam transibit, & regnum eius nō corrumperetur. Quod quidem duobus modis intelligitur, quia & nunc habet perpetuā potestatē, quum omnes gentes, & omnes linguae nomen eius uenerantur, maiestatē cōsententur, doctrinam sequuntur, uirtutem imitantur: habet imperiū, habet honorem, quum omnes tribus terræ præceptis eius obtemperant: & idem postea quum rursus aduenierit in potestate ac claritate, ut omnem animā iudicet, & iustos ad uitam restituat, tunc uerē totius terræ regimen obtinebit. Tunc sublato de rebus humanis omni malo, aureum seculum (ut poëtae uocat) id est iustum ac pacificum tempus orietur. Sed hæc uberioris in ultimo libro disseremus, quū de secūdo aduentu loquemur: nunc de primo, ut coepimus, explicemus.

Quod filius à patre est secundum deitatem: & quod geminæ substanciæ esse conuincitur ex operibus proprijs, tum ex oraculis prophetarum, & etiam Apollinis Milesij testimonio: & quare nec ad Solomonem, nec ad alium quād ad Christum referri possunt uaticinia prophetarum. Cap. XIII



Vmmus igitur deus ac parens omniū, quum religionem suam transferre uoluisset, doctorem iustitiae misit ē cœlo, ut nouis cultoribus nouam legem in eo, uel per eum daret. Non sicut ante fecerat, per hominem, sed tamen nasci eum uoluī tanquam hominē, ut per omnia summo patri similis existeret. Ipse enim deus pater, & origo, & principiū rerum, quoniam & parentibus caret, ἄπάτωρ atque ἀμύτωρ à Trismegisto uerissime nominatur, quod ex nullo sit procreatus. Idcirco etiam filium bis nasci oportuit, ut ipse fieret ἄπάτωρ atq; ἀμύτωρ. In prima enim nativitate spiritali ἄπάτωρ fuit, quia sine officio matris à solo deo patre progeneratus est. In secunda uero carnali ἄπάτωρ fuit: quoniam sine patris officio uirginali utero procreatus est, ut mediā inter deum & hominem substantiam gerens, nostram hanc fragilem imbecillemp; naturam, quasi manu ad immortalitatem posset educere, factus est dei filius per spiritum, & hominis per carnem, id est & deus & homo. Dei uirtus in eo ex operibus, quæ fecit, apparuit: fragilitas hominis ex passione, quā pertulit: quā cur suscepit, paulò post decebo. Interim & deū fuisse, & hominē ex utroq; genere permistū prophetis uaticinantibus discimus. Esaias deum fuisse testaſ his uerbis: Fatigata est Aegyptus, & negotiatio Aethiopū & Saba: uiri alti ad te transgredienſ, & tui erunt servi, & post te ambulabūt, uincti cōpedibus, & adorabunt, & te precabuntur: quoniam in te deus est, & non est alius deus præter te. Tu enim deus es, & nesciebamus, deus Israël saluator. Cōfundentur & reuerebunt omnes qui aduersant̄ tibi, & cadent in confusionem. Item propheta Hieremias sic ait: Hic deus noster, & nō deputabitur alijs absq; illo, qui inuenit omnē uiam prudentiæ, & dedit eam Iacob pueru, & Israël dilectu sibi. Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus uerfatus est. Item David in psalmo quadragesimoquarto: Thronus tuus deus in secula seculorū, uirga æquitatis, uirga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odio habuisti iniustitiam: propterea unxit te deus, deus tuus oleo exultationis. Quo uerbo & no-

men ostendit: siquidem (ut supra docui) ab unctione appellatus est Christus. De manitate testis inde hominem fuisse eundem Hieremias docet, dicens: Et homo est, & quis cognovit eum? Item Esaias: Et mittet eis deus hominem, & saluabit eos, iudicans sanabit eos. Sed & Moyses in Numeris ita loquitur: Orietur stella ex Iacob, & exurget ho-

A mo ex Israël. Propterea Milesius Apollo consultus, utrum ne deus, an homo fuerit, hoc modo respondit græce:

Θυντὸς ἐγραπτὰ σάρκα, σοφὸς τερατώδεσιμόργοις.  
ἄλλ' ὑπὸ χαλδαίων κριτῶν ὅπλοις συλληφεῖς,  
γόμφοις καὶ σκολόπιοι πικρῷ μὲν τελευτῇ.

Apollinis de  
Christo rea  
 sponsum.

Primo quidem uersu uerum dixit, sed argute consultorem se felliit, sacramentū ueritatis penitus nescientē. Videtur enim negasse illum deum: sed quum fatetur secundum carnem fuisse mortalem, quod nos etiam prædicamus, cōsequens est, ut secundū spiritū deus fuerit, quod nos affirmamus. Quid enim fuerat necesse carnis facere mentionē, quum satis esset dicere, fuisse mortalem? Sed t̄ ueritatē prorsus negare non potuit, quemadmodum res se haberet, sicut illud, quod ait fuisse sapientem. Quid ad hoc Apollo respondes? Si sapiens est, ergo doctrina eius sapientia est, nec ulla alia: & sapientes qui sequuntur, nec ulli aliij. Cur igitur uulgò pro stultis, & uanis, & ineptis habemur, qui sectamur magistrū, etiam ipsorum deorū confessione sapientem? Nam quod ait portentifica illum opera fecisse, quo maxime diuinitatis fidem meruit, assentiri nobis iam uideſt, qui dicit eadem, quibus nos gloriamur. Sed colligit se tamen, & ad dæmoniacas fraudes redit. Qui enim uerum necessitate dixisset, iam deorū ac sui proditor uidebat: nisi quod ab eo ueritas extorserat, mendacio fallente celasset. Ait ergo illum fecisse opera miranda, uerū nō diuina uirtute, sed magica. Quid mirum, si hoc Apollo ueritatē ignorantibus persuasit, qui Iudei quoq; cultores (ut uidebant) summi dei idem putauerint: quum ante oculos eorū quotidie fierent illa miracula, nec tamen tantarū uirtutum cōtempnatione impelli potuerū, ut deum crederent quem uidebant. Propterea Dauid,

B quem inter cæteros prophetas uel maxime legunt, in psalmo uigilimo sic eos damnat: Redde illis retributionē eorum, quoniam non intellexerūt opera domini. Ex huius ipsius domo Christum generatū iri secundum carnem, & ipse Dauid, & aliij prophetæ annunciauerunt. Apud Esaiam ita scriptū est: Et erit in die illa radix Iesse: & qui exurget principari in nationes, in eum gentes sperabūt, & erit requies eius in honore. Et alio loco: Exiet uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescat super eum sp̄ritus dei, sp̄ritus sapientiae & intellectus, sp̄ritus consilij & fortitudinis, sp̄ritus pietatis, & implebit illum sp̄ritus timoris dei. Iesse autem fuit pater Dauid, ex cuius radice ascensurū esse florem prælocutus est, eum scilicet, de quo Sibylla dicit:

Ἄνθησε δὲ αὐθόπαθεροῦ

Item in Βασιλεῶν libro secundo: Propheta Nathan missus est ad Dauid uolentem deo templum fabricare, & fuit uerbū domini ad Nathan dicens: Vade, & dic seruo meo Dauid, haec dicit dominus omnipotens: Non tu ædificabis mihi domū ad inhabitandum: sed quum impletū fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, & parabo semen eius. Hic ædificabit mihi domum in nomine meo, & erigam t̄ thronum eius usq; in seculum, & ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, & fidem cōsequetur domus eius, & regnum eius usq; in seculū. Sed haec ut Iudei non intelligerent, illa fuit causa, quod Solomon filius Dauid deo templum ædificauit, & ciuitatē, quam de suo nomine Hierosolyma nuncupauit. Itacj ad ipsum quæ à propheta dicta sunt, retulerunt. Solomon autem ab ipso patre imperij régimen accepit. Prophetæ uero de eo loquebātur, qui tum nasceretur, postquā Dauid cum patribus suis requieuisset. Præterea Solomonis imperium perpetuū non fuit, annis enim quadraginta regnauit. Deinde quod nunquam filius dei dictus sit, sed filius Dauid: & domus, quam ædificavit, nō est fidem cōsecuta, sicut ecclesia, quæ est uerum templum dei; quod nō in parietibus est, sed

L. COELII LACTANTII

C in fide ac corde hominum, qui credūt in eum, ac uocantur fideles. Illud uero Solo-  
monium templum, quia manufactum est, manu cecidit. Deniq; pater eius in psal-  
mo centesimo uigesimo septimo de operibus filij sui prophetauit hoc modo: Si do-  
minus non ædificauerit domum, sine causa laborant qui ædificant eam. Si domi-  
nus non custodierit ciuitatem, sine causa uigilant qui custodiunt eam.

*De æterno Christi sacerdotio, quod prophetæ, sicut & cetera, prædixerunt: sic exprimentes Iesum  
Christum, ut oracula, nec ad filium Naue, nec ad filium Ioseph ualeant retorqueri: & de uis quas  
docuit Christus, qui nunquam suum honorē quæsuiuit, sed patris. Cap. X I I I I*



Vibus ex rebus apparet, prophetas omnes denunciasse de Christo, so-  
re aliquando, ut ex genere Dauid corporaliter natus cōstitueret æter-  
num templū deo, quod appellatur ecclesia: & uniuersas gentes ad reli-  
gionem ueram dei cōuocaret. Hæc domus fidelis, hoc immortale tem-  
plum: in quo si quis non sacrificauerit, immortalitatis præmium nō habebit. Cuius  
templo & magni, & æterni, quoniā Christus fabricator fuit, idem necesse est habeat  
in eo sacerdotū sempiternū. Nec potest nisi per eum, qui constituit templū, ad adi-  
tum templi, & ad conspectum dei perueniri. Dauid in psalmo centesimo nono id-  
ipsum docet, dicens: Ante luciferū genui te. Iurauit dominus, & nō poenitebit eū.  
Tu es sacerdos in æternū secundum ordinē Melchisedech. Item in *Bæstæw* libro  
primo: Et suscitabo mihi sacerdotē fidem, qui omnia, quæ sunt in corde meo, fa-  
ciat: & ædificabo ei domū fidem, & translubit in cōspectu meo omnibus diebus.  
Quis autē futurus esset, cui deus æternū sacerdotiū pollicebatur, Zacharias etiam  
nomine posito apertissime docuit: sic enim dixit: Et ostendit mihi dominus deus le-  
sum sacerdotē magnū stantem ante faciem angeli domini: & diabolus stabat ad de-

D xtram ipsius, ut aduersareſ ei. Et dixit dominus ad diabolū: Imperet tibi dominus  
uitæ, qui elegit Hierusalem: & ecce titio electus ab igne, & Iesus erat indutus uesti-  
mentis sordidis, & stabat ante faciem angelī, & respondit, & dixit ad circūstantes  
ante faciem eius: Ferte uestimenta sordida ab eo, & induite eum tunica talari, & po-  
nite cydarim mundam super caput ipsius. Et cooperuerūt eum uestimento, & im-  
posuerunt cydarim mundā super caput ipsius: & angelus domini stabat, & testifi-  
cabatur ad Iesum, dicens: Hæc dicit dominus omnipotens, si in uis meis ambula-  
ueris, & præcepta mea seruaueris, tu iudicabis domū meam, & dabo tibi qui con-  
uersentur in medio horū circūstantium. Audi itaq; Iesu sacerdos magne. Quis nō  
igitur captos mentibus tum fuisse ludæos arbitretur, qui quū hæc legerent & au-  
diren, nefandas manus suas deo suo intulerunt? Atqui ab eo tempore quo Zacha-  
rias fuit, usq; ad annū quīntumdecimū imperij Tiberij Cæsaris, quo Christus cru-  
cifixus est, anni quingenti numerantur: siquidē Darij & Alexandri adoleuit æta-  
te, qui fuerūt non multo post, quam Tarquinius Superbus exactus est: sed illi rur-  
sus eodem modo falsi deceptiōs sunt, putates hæc de Iesu esse dicta filio Naue, qui  
successor fuit Moysi: aut de sacerdote Iesu filio Ioseph, in quos nihil cōgruit eo-  
rum, quæ propheta narrauit. Non enim sordidati illi unquam fuerunt, quum alter  
eorū princeps potentissimus fuerit, alter sacerdos: aut perpeſsi sunt aliquid aduer-  
si, ut tanquā titio electus ex igne putarentur: aut aliquando in conspectu dei & an-  
gelorū steterunt: aut propheta de præteritis loquebatur potius q̄ de futuris. Lo-  
cutus est igit̄ de Iesu filio dei, ut ostenderet eum primo in humanitate & carne esse  
uenturū: hæc enim est uestis sordida: ut pararet templū deo, & sicut titio igni com-  
bureretur, id est ab hominibus cruciamenta perferret, & ad ultimum extingue-  
tur. Titionem enim uulgas appellat extractū foco torrem semiustum extinctum.  
Quomodo autem, & cum quibus mandatis à deo mitteretur in terram, declarauit  
spiritus

A spiritu dei per prophetā docens futurū, ut quum uoluntatem summi patris fideliter & constanter impleset, acciperet iudiciū atq; imperium sempiternū. Si in uis mandatis Chri mei, inquit, ambulaueris, & præcepta mea seruaueris, tu iudicabis domū meam. Cum quibus suis fuerit misericordia eius, nec ambiguum, nec obscurum est. Deus sus in terram.  
 Quæ fuerint uiæ dei, & quæ præcepta eius, nec ambiguū, nec obscurū est. Deus enim quum uideret malitiā, & falsorū deorū cultus per orbem terræ inualuisse, ut iam nomē eius ex hominū memoria fuisset penē sublatū (siquidē Iudæi quoq; qui bus solis arcanū dei creditū fuerat, relicto deo uiuo ad colenda figmenta irretiti dæ monū fraudibus aberrassent, nec increpiti per prophetas reuerti ad deū uellent) si lium suum principē angelorū legauit ad homines, ut eos conuerteret ab impijs & uanis cultibus, ad cognoscēdum & colendū uerum deum: item ut eorū mentes à stultitia ad sapientiā, ab iniuitate ad iustitiæ opera traduceret. Hæ sunt uiæ dei, in quibus ambulare eum præcepit: hæc præcepta, quæ seruanda mandauit. Ille uero exhibuit deo fidem: docuit enim quod unus deus sit, eumq; solum coli oportere: nec unq; se deū esse dixit, quia nō seruasset fidem, si missus, ut deos tolleret, & unū assereret, induceret alium præter unū. Hoc erat non de uno deo facere præconiū, nec eius qui miserat, sed suum propriū negociū gerere, ac se ab eo quem illustratus uenerat, separare. Propterea quia tam fidelis exitit, quia sibi nihil prorsus asumpsit, ut mandata mittentis impleret, & sacerdotis perpetui dignitatem, & regis summi honorem, & iudicis potestatem, & dei nomen accepit.

De baptismo Christi, & miraculis, quæ gesit in carne ante passionem: quæ non modò à prophetis  
 prænunciata sunt, sed etiam uaticinio Sibyllarum, sicut Cicero & Varro testantur: sed  
 oracula ante Christi aduentum non potuerunt intelligi. Cap. X V

B  Voniā de secunda natuitate diximus, qua se hominibus in carne monstrauit: ueniamus ad illa opera mirāda, quæ quum essent uirtutis cœlestis indicia, magum Iudæi putauerūt. Quum primum cœpit adolescere, tinctus est à Ioanne propheta in Jordane flumine: ut lauacro spiritali peccata non sua, quæ utique non habebat, sed carnis quam gerebat, aboleret: ut quemadmodū Iudæos suscepta circūcisione, sic etiā gentes baptismō, id est purificatoris perfusiōe saluaret. Tunc uox de cœlo audita est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quæ uox apud Dauid prædicta inueni: & descēdit super eum spiritus dei formatus in specie columbæ cādidae. Exinde maximas uirtutes cœpit operari, nō præstigijs magicis, quæ nihil ueri ac solidi ostentant: sed uī ac potestate cœlesti, quæ & iampridem prophetis nūciantibus canebat. Quæ opera tam multa sunt, ut unus liber ad implenda omnia sati sít. Enumerabo igitur illa breuiter & generatim, sine ulla personarū ac locorū designatione: ut ad exponendā passio-  
 nis eius crucisq; rationē possim peruenire, quō iandudū festinat oratio. Virtutes eius fuerunt, quas Apollo portentivas appellauit, quod quācunq; iter faciebat, Christi. ægros ac debiles, & omni morborū genere laborates, uno uerbo, unoq; momen-  
 to reddebat incolumes: adeò ut mēbris omnibus capti, receptis repente uiribus, roborati ipsi lectulos suos reportarent, in quibus fuerat paulò ante delati. Claudis uero ac pedum uitio afflictis, nō modo gradiendi, sed etiam currendi dabat facultatem: Tunc quorum cæca lumina in altissimis tenebris erant, eorū oculos in pristinum restituebat aspectum: Multorum quoq; linguas in eloquium sermonemq; soluebat: Item surdorum patefactis auribus insinuabat auditum: pollutos ac asper-  
 sos maculis repurgabat. Et hæc omnia non manibus aut aliqua medela, sed uerbo ac iussione faciebat, sicut etiam Sibylla præixerat:

παύτε λόγῳ πράσινῳ, τῶσσαν τε νόσον θεραπεύωμεν.

Nec utiq; mirū, quod uerbo faciebat mirabilia: quum ipse esset dei uerbum, cœlesti

L. COELII LACTANTII

Cuius uirtute ac potestate subnixum. Nec satis fuit quod uires imbecillibus redderet, qđ debilibus integratē, quod ægris & languentibus sanitatē, nisi etiam mortuos scitaret, uelut ē somno solutos, ad uitamqđ reuocaret. Quæ uidētes tunc Iudæi, dæmoniaca potentia fieri arguebant: quū omnia sic futura, ut facta sunt, arcanae illorum literæ cōtinerent. Legebant quippe tum aliorum prophetarū, tum Esaiæ uerba, dicentis: Cōfortamini manus resoluta, & genua debilia cōsolamini. Qui estis pusilli animi, nolite timere, nolite metuere, dominus noster iudiciū retribuet, ipse ueniet & saluos faciet nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum auident. Tunc saliet claudis sicut ceruus, & plana erit lingua mutorū, quia rupta est in deserto aqua, & riuus in terra sitienti. Sed & Sibylla eadē cecinit his uerbis:

- νεκρῷ μὲν αὐταῖστοι ἔσαι,  
καὶ χωλῶψ θρόμος ἐσ ὄντος, οὐ καφός ἀκόστει,  
καὶ τυφλοὶ βλέψοσι, λαλύσσοσι δὲ λαλέοντες.

Ob has eius uirtutes & opera diuina, cum magna illum multitudo sequeretur, uel debilium, uel ægrotorū, uel eorum qui curandos suos offerre cupiebant, ascendit in montem quendā desertū, ut ibi adoraret: ubi quum triduo moraretur, ac fame populus laboraret, uocauit discipulos, quærens quantos secū cibos gestarent. At illi quinq; panes & duos pisces in pera se habere dixerunt. Afferri ea iussit, ac multitudinē per quinquagenos distributā discubere. Quod quū discipuli ficerēt, frangebat ipse panē minutatim, carnēq; pisciū cōminuebat, & utraq; in manibus eius augebant: Et quum apponi illa populo discipulis imperasset, saturata sunt quinq; millia hominū: & insup duodecim cophini de residuis fragminibus impleti. Quid aut dici aut fieri potest mirabilius? At id Sibylla futurū cecinerat olim his uerbis:

D. Εἰψ ἄρτοις ἀμαρτία πέντε, καὶ ἰχθύεσι δύοισι τριῶν  
αὐτῷ μέρη χιλιάδες γνέρπυμα πέντε κορέας,  
καὶ τὰ πόδια δύοντα λαβὼμεν μετὰ κλάσματα πέντε  
δώδεκα πληρώσει πολὺν τοις ἐλπίδα πολλῶν.

Christus super aquā gradiens Quæro, quid hic potuerit ars magica moliri, cuius peritia ad nihil aliud, quam ad circūscribendos oculos ualet? Item secessurus orandi gratia, sicut solebat in montem, præcepit discipulis ut nauiculam sumerent, seq; præcederent. At illi urgente iam uespere profecti, cōtrario uento laborare cœperūt. Quumq; iam medium fretum tenerent, tum pedibus mare ingressus, consecutus est eos tanquam in solido gradiens: non ut poëtae Orionem mentiūtur in pelago incidentem, qui demersa corporis parte, humero supereminet undas. Et rursus quum obdormiuisset in nauī, & uentus usq; ad extremū periculum fœuire cœpisset, excitatus ē somno silere protinus uentū iussit, & fluctus qui maximū ferebantur, cōquiescere: statimq; sub uerbo eius, tranquillitas insecura est. Mentiuntur fortasse literæ sanctæ, docentes tantam fuisse in eo potestatem, ut imperio suo cogere uentos obsequi, maria fœuire, morbos cedere, inferos obedire: Quid quod eadem Sibyllæ carminibus suis ante docuerunt? quarum una, cuius suprà fecimus mentionem, sic ait:

Τὸς ἀνέμος πάντες τε λόγω, σφάσει δὲ θάλασσα  
μανομέλη ποσὶ μέργυνται πίσει τε πατήσας.

Et rursus alia, quæ dicit:

Κύματα πεζοῦσι, νόσοι φανθέωπωρ ἀπολύσει,  
ζύσει τε θυμόσκοντας, ἀπώσεται ἀλγεα πολοῖς,  
ἐκ δὲ μᾶς τηγῆς ἀπτος κόρῳ ἵσται αὐτῷ.

His testimonijis quidā reuicti solent eō cōfigere, ut aiant, non illa esse carmina Sibyllina, sed à nostris facta atq; composita. Quod profecto non putabit qui Cicero nem

A nem Varronemq; legerit, aliosq; ueteres: qui Erythræa Sibyllam, cæterasq; comi memorant: ex quarū libris ista exempla proferimus: qui autores obierūt antequā Christus secundum carnem nasceretur. Verū non dubito, quin illa carmina priori bus tēporibus pro deliramento sint habita, quū ea nemo intelligeret. Denuncia= bant enim monstrofa quædā miracula, quorū nec ratio, nec tempus, nec autor de= signabatur. Denicq; Erythræa fore ait, ut diceretur insana & mendax. Ait enim:

φύσσοι σιενάλλω  
μαυρομέλίνω, φύσσοι δὲ γρύπται ἀπεντε,  
τηνίκα με μνήμων τωιόσετε, κόκετι μὲ δέσις  
μαυρομέλίνω φύσει μεθεδε μεγάλοι προφύται.

Latuerunt igitur multis seculis, postea uero animaduersa sunt, quæ Christi natu= tas & passio patefecit arcana: sicut etiam uoces prophetarū, quæ quum per annos mille quingentos, uel eo amplius, lectæ fuissent à populo Iudæorū, nec tamen in= tellectæ sunt, nisi postquam illas Christus & uerbo & operibus interpretatus est. Illum enim prophetæ annunciauerunt, nec ullo modo poterant quæ illi loqueban= tur, intelligi, nisi fuissent uniuersa completa.

De passione Christi, quæ Iudeis est scandalo, & stultiæ gentibus: quomodo summa= vitudinem continet, & ueram, & singularem sapientiam, & ueritatem,  
sicut propheta fuerunt prælocuti. Cap. X VI



Enio nunc ad ipsam passionem, quæ uelut opprobiū nobis obiectari solet: quod & hominem, & ab hominibus insigni supplicio affectū & excruciatū colamus: ut doceam eam ipsam passionē ab eo cum magna & diuina ratione suscepit: & in ea sola & uirtutē, & ueritatem, & sa=

B pientiam contineri. Necq; enim si beatissimus in terra fuisset, & per omnem uitam in summa felicitate regnasset, quisquam illum sapiens aut deum credidisset, aut ho= nore diuino dignum iudicasset: quod faciunt ueræ religionis expertes, qui cadu= cas opes, & fragilem potentiam, & alieni beneficij bona nō tantum suscipiunt, ue= rum etiam cōsecrant, & scientes memoriæ mortuorum deseruiunt, fortunam iam extictam colentes: quam ne uiuam quidē, præsentemq; sapientes colendam sibi unquā putauerunt. Nec enim potest aliquid in rebus terrenis esse uenerabile, coe= loq; dignum: sed sola est uirtus, sola iustitia, quæ potest uerum bonū, & coeleste, & perpetuū iudicari: quia nec datur cuiquam, nec auferitur: qua uirtute ac iustitia quoniam Christus instruēt uenit in terram, imo uero quoniam ipse est uirtus & ipse iustitia, descēdit ut eam doceret, hominemq; formaret. Quo magisterio ac dei legatione perfunctus, ob eamipsam uirtutē, quam simul & docuit & fecit, ab omni bus gentibus & meruit, & potuit deus credi. Ergo quū magnus populus ad eum uel ob iustitiam, quam docebat, uel ob miracula, quæ faciebat, subinde confluueret, & præcepta eius audiret, & à deo missum, deiq; filium crederet: tum primores Iu= daeorum & sacerdotes ira stimulati, quod ab eo tanquam peccatores increpaban= tur: & inuidia deprauati, quod cōfluente ad eum multitudine contemni se ac dese= ri uidebant: & quod caput sceleris illorū fuit stultitia, & errore cæcati, & immemo= res præceptorum coelestium ac prophetarum coierunt aduersus eum: impiumq; consiliū de eo tollendo, cruciandoq; ceperunt: quod prophetæ multo ante scrip= rant. Nam & Dauid in principio psalmorū suorum præuidens in spiritu, quātum facinus admisurū essent, beatum esse ait, qui non abierit in consilio impiorum. Et Solomon in libro Sapientiæ his uerbis usus est: Circūueniāmus iustum, quoniam insuauis est nobis, & exprobrat nobis peccata legis: promittit se scientiam dei ha= bere, & filium dei se nominat: factus est nobis in traductionē cogitationū nostra

Inuidia Iu= d.eorum.

Crum grauis est nobis etiam ad uidendum, quoniam dissimilis est alijs uita illius, & immutatae sunt uiae illius: tanquam nugaces aestimati sumus ab eo: continet se a uis nostris quasi ab immunditijs, & praeferit nouissima iustorū, & gloriatur patrem se habere deū. Videamus ergo si sermones illius ueri sunt, & tentemus quae uentura sunt illi. Cōtumelij & tormentis interrogemus eum, ut sciamus reuerentiā illius, & probemus patientiā illius, morte turpisima cōdemnemus eum. Hæc cogitaue runt & errauerunt. Excœcauit enim illos stultitia ipsorū, & nescierunt sacramenta dei. Nonne ita descripsit nefariū illud consilium ab impijs initum contra deum, ut planè interfuisse uideatur? Atqui à Salomone, qui hæc cecinit, usq; ad id tempus, quo gesta res est, mille ac decem anni fuerunt. Nihil nos singimus, nihil addimus. Habebant hæc qui fecerūt: legebant in quos hæc dicta sunt: sed & nunc hæredes nominis & sceleris illorū hæc & habent, & damnationem suorū prophetarū uoce prædictam, quotidianis lectionibus personāt: nec aliquādo in cor suum, quæ pars est & causa dānationis, admittunt. Incredibili ergo sāpe à Christo Iudei, exprobrante illis peccata & iniusticias, & à populo penē deserti, concitati sunt ad eum necandum. Cuius rei audaciā illis dedit humilitas eius. Nam quum legerent, cum quanta uirtute & claritate filius dei uenturus esset ē cœlo: Iesum autē cernerent humilem, quietū, sordidū, & informem, non credebant filium dei esse: ignorantes duos aduētus eius à prophetis esse prædictos: Primum in humanitate carnis obscurū: Secundum in fortitudine maiestatis manifestū. De primo Dauid in psalmo septuage simo primo sic ait: Descendet sicut pluvia in uellus, & orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec extollatur luna. Sicut enim pluvia si descendat in uellus, animaduerti nō potest, quia strepitū non facit: ita Christū in terram sine cuiusquam suspicione uenturū esse dixit, ut iustitiam doceret & pacem. Esaias quoq; ita tradidit: Domine quis credidit auditui nostro, & brachiū domini cui reuelatū est: Annūciamus coram ipso sicut pueri, & sicut radix in terra sitienti: non est figura eius, neq; claritas: & uidimus illum, & nō habuit figurā neq; decorum, sed figura eius sine honore, & deficiens præter cæteros homines: homo in plaga positus est, sciens ferre imbecillitatē: quia auersus est, & non est cōputatus. Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet, & nos putauimus ipsum esse in dolore, & in plaga, & in uexatione. Ipse autem uulneratus est propter facinora nostra, & infirmatus est propter peccata nostra: doctrina pacis nostræ super illum, liuore eius nos sanati sumus. Omnes sicut oves errauimus, & deus tradidit illū pro peccatis nostris. Et Sibylla eodem modo locuta est: οἰκτρὸς, ἄπιος, ἄμορφος, ψυχῆτροις ἐλπίδα σώσει. Propter hanc humilitatem deum suum non agnoscentes, inierunt consilium detestandum, ut priuarent eum uita, qui ut eos uiuiscaret, aduenerat.

Quod calumniati sunt cum quasi legis destructorem: & quid præfigurauerit circuncisio: & quare in illo iussa sit fieri membro: & quare prohibitum sit carne suilla uesci. Cap. XVII

 Ed iræ atq; inuidiæ suæ, quæ in cordibus suis gerebant intus inclusam, alias causas præferebant: quod legem dei per Moysen datam solueret, id est quod sabbatis non uacaret, operans in salutem hominū: quod circumcisionem uacuefaceret: quod abstinentiā suillæ carnis auferret. In quibus rebus Iudaicæ religionis sacramēta cōsistunt. Ob hæc itaq; cætera pars populi, quæ nondū à Christo secesserat, à sacerdotibus incitabat, ut impiū iudicaret eum, quod legē dei solueret: quum hoc ille nō suo iudicio, sed ex dei uoluntate, & secundū prædicta ficeret prophetarū. Michæas enim nouā legem daturū denūcia uit hoc modo: Lex de Sion proficisciē, & sermo domini ex Hierusalē, & iudicabit inter

A inter plurimos populos, & reuinciet, & diriget ualidas nationes. Illa enim prior lex, quæ per Moysen data est, nō in monte Sion, sed in monte Oreb data est, quā Sibylla fore ut à filio dei solueretur, ostendit.

Αλλ' ὅτε τὰνταν ἀπαντά τελειωθῆ ἄποιν,  
εἰς αὐτὸν τὰνταν νόμος.

Sed & ipse Moyses, per quē datam sibi legē dum pertinaciter tuerentur, exciderūt à deo, & deum non agnouerūt: prædixerat fore, ut propheta maximus mitteret à deo, qui sit supra legem, qui uoluntatē dei ad homines perferat. In Deuteronomio ita scriptū reliquit: Et dixit dominus ad me: Prophetā excítabo eis de fratribus eorum sicut te, & dabo uerbū meum in os eius, & loquetur ad eos ea, quæ præcepero ei: & quisquis nō audierit ea, quæ loquef̄ prophetā ille in nomine meo, ego uin dicabo in eum. Denunciauit scilicet dominus per ipsum legiferū, quod filiū suum, id est uiuam præsentemq; legem missurus esset, & illam ueterem per Moysen datam soluturus, ut denuo per eum qui esset æternus, legē sanctiret æternā. Item de circūcisione soluenda Esaías ita prophetauit: Hæc dicit dominus uiris Iuda, qui habitant in Hierusalem: Reuocate inter uos nouitatē, & ne seminaueritis in spinis. Circuncidite uos domino deo uestro, & circuncidite præputium cordis uestri, ne exeat ira mea sicuti ignis, & non sit qui extinguat. Item Moyses ipse: In nouissimis diebus circūcidet dominus cor tuum, ad dominū deum tuum amandū. Item Iesus Naue successor eius: Et dixit dominus ad Iesum: Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, & sede, & circuncide secundo filios Israël. Secundam circūcisionem futuram esse dixit, nō carnis, sicut fuit prima, qua etiam nunc Iudei uituntur, sed cordis ac sp̄ritus, quam tradidit Christus, qui fuit uerus Iesus. Nō enim propheta sic ait,

B Et dixit dominus ad me: sed ad Iesum: ut ostenderet quod nō de se loqueretur, sed de Christo, ad quem tunc deus loquebatur. Christi enim figurā gerebat ille Iesus: qui quū primū Aues uocaref̄, Moyses futura præsentiens, iussit eum Iesum uocari, ut dux militiæ delectus esset aduersus Amalech, qui oppugnabat filios Israël: & aduersariū debellaret per nominis figurā, & populū in terrā promissionis induceret: Et idcirco Moysi etiam successit, ut ostenderef̄ nouā legē per Iesum Christū datam, ueteri legi successurā, quæ data per Moysen fuit: Nam illa carnis circūcisio caret utiq; ratione: quia si deus id uellet, sic à principio formasset hominē, ut præputiū nō haberet: sed huius secundæ circūcisionis figura erat, significans nudandū esse pectus, id est aperto & simplici corde oportere nos uiuere: quoniam pars illa corporis: quæ circūciditur, habet quandam similitudinem cordis, & est pudenda. Et ob hanc causam deus nudari eam iussit, ut hoc argumento nos admoneret, ne inuolutū pectus haberemus, id est ne quod pudendū facinus intra cōscientiæ secreta uelemus. Hæc est cordis circūcisio, de qua prophetæ loquuntur: quam deus à carne mortali ad animā transtulit, quæ sola mansurā est. Volens enim uitæ ac salutis nostræ pro æterna sua pietate cōsulere, pœnitentiam nobis in illa circūcisione proposuit, ut si cor nudauerimus, id est si peccata confessi satis deo fecerimus, ueniam cōsequamur: quæ cōtumacibus & admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem sicut homo, sed intima & arcana pectoris intuetur. Eodem etiā spe etat carnis suillæ interdictio: à qua quum eos abstinere iussit deus, id potissimum uoluit intelligi, ut se à peccatis atq; immūnditijs abstineret. Est enim lutulentū hoc animal, & immundū: nec unq; cœlū aspicit, sed in terra toto corpore projectū & ore, uentri semper & pabulo seruit: nec ullum aliū, dum uiuit, præstare usum potest, sicut cæteræ animatæ: quæ uel sedendi uehiculum præbent, uel in cultibus agrorū iuant, uel plaustra collo trahunt, uel onera tergo gestant, uel indumenta exuuijs

De soluēda cir  
cūcisione testis  
monia.

Quō sp̄ecies  
carnis suillæ  
interdictio.

L. COELII LACTANTII

C suis exhibent, uel copia lactis exuberat, uel custodiendis domibus inuigilant. Interdixit ergo, ne porcina carne uescerentur, id est, ne uitia porcorum imitarerentur, qui ad solam mortem nutruntur: ne uentri ac uoluptatibus seruientes, ad faciendam iustitiam inutiles essent ac morte afficerent. Item ne se fœdis libidinibus immergerent sicut sus, quae se coeno ingurgitat: uel ne terrenis seruant simulacris, ac se luto inquinarent: luto enim se oblinunt, qui deos, id est qui lutum terramque uenerantur. Sic uniuersa præcepta Iudaicæ legis ad exhibendam iustitiam spectant: quoniam per ambages data sunt, ut per carnalium figuram spiritualia noscerentur.

Quæ causa, & quis fuerit ordo dominice passionis: & quibus fit  
prænunciata oraculis. Cap. XVIII



Vum igitur ea, quæ deus uoluit fieri, quæcumque per prophetas suos multis seculis ante prædictum Christus impleret: ob ea incitati, & diuinæ literæ nescientes, coierunt ut deum suum condemnarent. Quod quum sciret futurum, ac subinde diceret, oportere se pati ac interfici pro salute multorum, secessit tamen cum discipulis suis: non ut uitaret quod necesse erat perpeti ac sustinere, sed ut ostenderet, quod ita fieri oporteret in omni persecuzione, ne sua quis culpa incidisse videatur: ac denunciauit fore, ut ab uno eorum proderetur. Itaque Iudas præmio illectus, tradidit filium dei Iudæis. At illi comprehendens, ac Pontio Pilato, qui tum legatus Syriam regebat, oblatum, cruci affigi postulauerunt: obijcientes ei nihil aliud, nisi quod diceret se filius dei esse, & regem Iudeorū. Item quod dixerat: Si solueritis hoc templum, quod ædificatum est annis quadraginta sex, ego illud sine manibus in triduo resuscitabo: significans breui futuram passionem suam, & se à Iudæis interficiendum, tertio die resurrecturum. Ipse enim erat uerum dei templum. Has uoces eius tanquam infaustas & impias insectabantur. Quæ quum Pilatus audisset, & ille in defensione sui nihil diceret, pronunciauit nihil in eo damnatione dignum uideri. At iniustissimi accusatores cum populo quem incitauerat, succlamare coeperunt, & crucem eius uiolentis uocibus flagitare. Tum Pontius & illorum clamoribus, & Herodis Tetrarchæ instigatione, metuentis negno pelleretur, uictus est. Nec tamen ipse sententiam protulit, sed tradidit eum Iudeis, ut ipsi de illo secundum legem suam iudicarent. Duxerunt ergo eum flagellis uerberant: & prius quam cruci affigerent, illuserunt: indutum enim coloris punicei ueste, ac spinis coronatum, quasi regem salutauerunt, & dederunt ei cibum fellis, & miscuerunt ei acetum potionem: Post hæc cōspuerunt in faciem eius, & palmis ceciderunt: Quumque ipsi carnifex de uestimentis eius contenderent, sortiti sunt inter se de tunica & pallio. Et quum hæc omnia fierent, nullam uocem ex ore suo, tanquam si mutus esset, emisit. Tum suspenderunt eum inter duos noxios mediū, qui ob latrocinia damnati erant, cruciisque affixerunt. Quid hic ergo in tanto facinore deploremus? Aut quibus uerbis tantum nefas cōquerar? Non enim Gauianā crucem describimus, quam M. Tullius uniuersæ eloquentiæ suæ uerbis ac uiribus, uelut effusis totius ingenii fontibus prosecutus est: facinus indignum esse proclaimans, ciuem Romanum contra omnes leges in cruce esse sublatum. Qui quauis innocens fuerit, & illo supplicio indignus: mortalis tamē, & ab homine scelesto, qui iustitiam ignoraret, affectus est. Quid de huius crucis indignitate dicemus, in qua deus à cultoribus dei suspensus atque suffixus est? Quis tam facundus, & tanta rerum uerborumque copia instructus existet: quæ oratio tantæ affluentia ubertate decurrent, ut illam crucem meritò de De Christi passione ploret, quam mundus ipse, & tota elementa luxerint? Hæc autem sic futura fuisse, & prophetarum uocibus, & Sibyllinis carminibus denunciatum est. Apud Esaiam ita scriptum inuenitur: Non sum contumax, neque contradico; dorsum meum posui

A sui ad flagella, & maxillas meas ad palmas: faciem autem meam non auerti a seditate sputorum. Similiter David in psalmo trigesimoquarto: Congregata sunt super me flagella, & ignorauerunt: dissipati sunt, nec compuncti sunt: tentarunt me, & deriserunt derisu, & striderunt dentibus suis super me. Sibylla quoque eadem futura monstrauit:

Eis αὐόμωρ χεῖρας ηδὺ ἀπίστωμ ὑστεροῦ ἥξει,  
Ιλώσσοι δὲ θῶν ῥαπίσματα χερσὶ αἴγροις,  
ηδὺ σόματι μαροῖσι πήνυματα φαεμακόντα,  
Ιλώσσει δὲ μάστιγας ἀπλῶς ἀγνὸν τόπει νῶτρη.

Item de silentio eius, quod usque ad mortem pertinaciter tenuit, Esaias sic locutus est: Sicut ovis ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram tondentibus sine uoce, sic non aperuit os suum. Et Sibylla supradicta:

Καὶ κολαφίζομεν Θεοῖς στρέψει, μήτις ἐπιγύνω  
τοῖς λόγοις, ἢ ποθεφῆλθεν, ἵνα φθιμένοις λαλύσῃ,  
ηδὺ σέφανον φορέσει τὸν ἀκαίθινον.

De cibo uero & potu, quem antequam eum figerent, illi obtulerunt, David in psalmo sexagesimoctavo sic ait: Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Idem hoc futurum etiam Sibylla concionata est:

Εἰς δὲ τὸ θρῶμα χολινὸν, καὶ εἰς δίταμον ὅξος ἔδωκαν,  
τοὺς αὐλοεργίνους ταύτην δίξει τράπεζαν.

Et alia Sibylla Iudeam terram his uerbis increpat:

Αὐτὴν γαρ σὺ ἀφέωμ τὸν σὸν θεὸν οὐκ γνῶντας  
πάλιοντες γὰρ θυτοῖσι τούμασιν, αλλὰ γὰρ ἀκαίθινοι  
ἐσεντασ σεφανίων, φοβεράντες χολινὸν ἱεραστας.

B Fore autem ut Iudei manus inferrent deo suo, eumque interficerent: testimonia prophetarum haec antecesserunt. Apud Hesdram ita scriptum est: Et dixit Hesdras ad populum: Hoc pascha saluator noster est, & refugium nostrum: cogitate, & ascendat in cor uestrum, quoniam habemus humiliare eum in ligno: & post hanc sperabimus in eum, ne deseratur hic locus in aeternum tempus, dicit dominus deus uirtutum. Si non credideritis in eum, neque exaudieritis annunciationem eius, eritis deriso in gentibus. Vnde apparet Iudeos nullam aliam spem habere, nisi se abluerint a sanguine, ac sperauerint in eum ipsum, quem negauerunt. Esaias, qui facinus eorum designat, dicit: In humilitate eius iudicium sublatum est. Natiuitatem eius quis enarrabit? quoniam aufertur a terra uita eius: a facinoribus populi mei abductus est ad mortem: & dabo malos pro sepultura eius, & diuites pro morte eius, quia facinus non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius. Propterea ipse haereditabit multos, & fortium dividet spolia: propterea quod traditus est ad mortem, & inter facinorosos deputatus est; & ipse peccatum multorum pertulit, & propter facinora illorum traditus est. David quoque in psalmo nonagesimotertio: Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem codemnabunt, & factus est mihi dominus in refugio. Et Hieremias: Domine significa mihi, & cognoscam, tunc uidi meditationes eorum: ego sicut agnus sine macula perductus sum ad uictimam: in me cogitauerunt cogitationem, dicentes: Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus e terra uitam eius: & non men eius non erit in memoria amplius. Lignum autem crucem significat, & panem corpus eius: quia ipse est cibus & uita hominum, qui credit in carnem quam portauit, & in crucem in qua pependit. De qua tamen apertius ipse Moses in Deuteronomio ita praedicauit: Et erit pendens uita tua ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes uitae tuae. Idem rursus in Numeris: Non quasi homo dominus suspenderit, neque quasi filius hominis minas patitur. Zacharias etiam sic tradidit: Et intue-

c buntur in me, quem transfixerunt. Item David in psalmo uigesimoprimo: Effoderunt manus meas & pedes meos, diu numerauerunt omnia ossa mea: ipsi autem contemplati sunt & uiderunt me: diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Quae utique propheta non de se locutus est: fuit enim rex, & nunquam illa perpessus est: Spiritus dei per illum loquebatur, qui fuerat illa passurus post annos mille & quinquaginta. Tot enim colliguntur anni a regno David usque ad crucem Christi. Sed & Solomon filius eius, qui Hierosolymam condidit, eam ipsam perituram esse in ultionem sanctae crucis prophetauit: Quod si auertimini a me, dicit dominus, & non custodieritis ueritatem meam, reiiciam Israelem a terra, quam dedi illis, & domum hanc, quam aedificauit illis in nomine meo, proieciam illam omnibus, & erit Israeles in perditionem, & in opprobrium populo, & domus haec erit deserta: & omnis qui transibit per illam, admirabitur, & dicet: Propter quam rem fecit dominus terrae huic, & domui huic haec mala: Et dicent: Quia reliquerunt dominum deum suum, & persecuti sunt regem suum dilectissimum deum, & cruciuerunt illum in humilitate magna, propter hoc importauit deus illis mala haec.

De miraculis, que in passione domini contigerunt: de sepultura & resurrectione, & a quibus testimonij prophetarum, fides roboretur istorum. Cap. XIX

**V**id amplius de facinoribus Iudeorum dici potest, q̄ excæcatos tum suis, atq; insanabili furore correptos, qui haec quotidie legentes, nec intellexerunt, nec quin facerent, cauere uoluerunt: Suspensus igitur atq; affixus, exclamauit ad dominum uoce magna, & ultrò spiritum posuit. Eadem hora terramotus factus est: & uelum templi, quod separabat duo tabernacula, scissum est in duas partes: & sol repente subductus est, & ab hora sexta usque ad nonam tenebrae factæ sunt. Qua de re Amos propheta testat: Et erit in die illo, dicit dominus, occidet sol meridie, & tenebrabit dies lucis: & conuertam dies festos uestros in luctum, & cantica uestra in lamentationem. Item Hieremias: Extirrita est quæ parit, & tæduxit animam, & occidit sol ei, quum adhuc medius dies esset, confusa est & maledicta: reliquos eorum in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum. Et Sibylla ait:

Ναὸς δὲ χριστοῦ πέτραι ματ, κοὐ νηματού μέσων  
νύξ ἵσαι σκοτεισα πελώει θεοὶ τρισὶν ὥραις.

Quum haec facta essent, ne prodigijs quidem cœlestibus facinus suū intelligere quiserunt. Sed quoniā prædixerat se tertio die ab inferis resurrectum, metuentes ne à discipulis surrepto & amoto corpore, uniuersi resurrexisse eum crederent, & fieret multo maior in plebe confusio, detraxerunt eum cruci, & conclusum in monumento firmiter militari custodia circuitederunt. Verū tertio die ante lucem terræ motu facto, repente patefactum est sepulchrū, & custodibus, quos attonitos obstupescerat pavor, nihil uidentibus, integer è sepulchro, ac uiuus egressus, in Galilæam profectus est, ut discipulos suos quæreret: in sepulchro uero nihil repertum est, nisi exuuiæ, quibus inuolutum corpus incluserat. Illum autem apud inferos non remanserū, sed die tertio resurrectum propheta cecinerat. David in psalmo quadragesimo: Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis sanctum tuū uide prophetas interitū. Item in tertio: Ego dormiui, & somnum cepi, & resurrexi: quoniā dominus rum de re auxiliatus est mihi. Osee quoq; primus duodecim prophetarum, de resurrectione surrectione eius testificatus est: Hic filius meus sapiens, propter quod nunc non resistet in tribulatione filiorū suorū, & de manu inferiorū eruam eum. Vbi est iudicium tuum mors, aut ubi est aculeus tuus? Idem alio loco: Viuiscabit nos post biduum die tertio. Et ideo Sibylla impositurum esse morti terminum dixit post triduanum somnum.

A **Kai** θωράκτο μοῖραμ τελέσαι τρίτην ἡμέραν πνύσεσ, οὐ τότε ἀπὸ φθιμένων ανακύψεις φάσθηται πρῶτος αναστάσεως κλητοῖς ἀσχλῶν ποστέξεσ.

**N**ulla igitur spes alia consequendæ immortalitatis hominí datur, nisi crediderit in eum, & illam crucem portandam, patiendamq; susceperit.

*Quod profectus in Galilæam dominus, post resurrectionem discipulis scripturarum reseravit arca: Et quare lex uetus dicatur testamentum, nec potuerit intelligi ante mortem domini: Et quod nouum testamentum ueteris adimpletio est, & quibus hoc antè prædictum sit testimonij. Cap. XX*

**P**rofectus ergo in Galilæam (noluit enim se ludæis ostendere, ne adduceret eos in pœnitentiam, atq; impios seruaret) discipulis iterum cōgregatis, scripturæ sanctæ literas, id est prophetarū arcana patefecit: quæ antequam patetetur, perspici nullo modo poterant: quia ipsum passionemq; eius annunciatabant. Idecirco Moyses, & ijdem ipsi prophetæ legem, quæ Iudæis data erat, testamentum uocant: quia nisi testator mortuus fuerit, nec cōfirmari testamentū potest, nec sciri quid in eo scriptum sit, quia clausum & obsignatum est. Itaq; nisi Christus mortem suscepisset, aperiri testamentū, id est reuelari & intelligi mysterium dei non potuisset. Verum scriptura omnis in duo testamenta diuisa est. Illud quod aduentum domini passionemq; antecessit, id est, lex & prophe<sup>Scriptura o-</sup>  
<sup>mnis in duo te-</sup>  
<sup>stamenta diuisa</sup>  
tæ, uetus dicitur. Ea uero, quæ post resurrectionem eius supra scripta sunt, nouum testamentū nominatur. Iudæi ueteri utuntur, nos nouo: sed tamen diuisa nō sunt, quia nouum ueteris adimpletio est, & in utroq; idem testator est Christus, qui pro nobis morte suscepit, nos hæredes æterni regni fecit, abdicato & exhæredato populo Iudæorum, sicut Hieremias propheta testatur, quum loquitur talia: Ecce dies ueniēt, dicit dominus, & cōsummabo domui Israël & domui Iuda testamentū nouum: non secundum testamentum quod disposui patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut illos educerem ē terra Aegypti: quia ipsi non perseuerauerunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit dominus. Item alio loco similiter ait: Dereliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam in manu inimicorum eius. Facta est mihi hæreditas mea, sicut leo in sylua, dedit super me uocem suam: ideo odi eam. Quum sit hæreditas eius cœleste regnum, non utiq; ipsam hæreditatem se odisse dicit, sed hæredes, qui aduersus eum ingrati & impii extiterunt. Facta est, inquit, hæreditas mea mihi, sicut leo: id est, præda & deuoratio factus sum hæredibus meis, qui me immolauerunt sicut pecus: dedit super me uocem suam, id est, sententiā aduersus me mortis crucisq; dixerūt. Nam quod superius ait, consummaturum se domui Iuda testamentum nouum, ostendit uetus illud testamentum, quod per Moysen est datum, non fuisse perfectū: id quod per Christum dari haberet, cōsummatum fore. Domus autem Iuda & Israël, non utiq; Iudæos significat, quos abdicauit: sed nos, qui ab eo cōuocati ex gentibus, in illorū locū adoptiō nemq; successimus: & appellamur filij Iudæorū, quod declarat Sibylla quū dicit:

*Iσθλαίωρ μακάρωρ θείορ Θρόνων αρχωρ.*

Quod autem futurum esset id genus Esaias docet, apud quem pater summus ad filium loquitur, dicens: Ego dominus deus uocauī te ad iustitiā, & tenebo manum tuam, & cōfirmabo te, & dedi te in testamentum generis mei in lucem gentiū, aperi oculos cæcorum, producere ex uinculis alligatos, & de domo carceris sedentes in tenebris. Quum igitur nos antea tanquam cæci, & tanquā carcere stultitiae inclusi federemus in tenebris, ignorantes deum & ueritatem, illuminati ab eo sumus, qui nos testamento suo adoptauit, & liberatos uinculis malis, atq; in lucem

L. COELII LACTANTII

c sapientiae productos, in haereditatem regni cœlestis ascivit.

De ascensione domini, divisione discipulorum ad nascentis ecclesiae fundatum iaciendum & roborandum, & miraculis eorum: & quomodo Petrus & Paulus Romanum uenientes prophetauerunt, regem in breviuenturū, qui Hierosolymam destrueret, & Iudeos deleret, eodem modo, quo postea contigit. Cap. XXI



Rdinato uero discipulis suis euangelio, ac nominis sui prædicatione, circuifudit se repente nubes, eumque in cœlum sustulit quadragesimo post passionem die, sicut Daniel fore ostenderat, dicens: Et ecce in nubibus cœli filius hominis ueniens usque ad uetusum dierum peruenit. Discipuli uero per prouincias dispersi, fundamēta ecclesiæ ubique posuerūt, facientes & ipsi in nomine magistri dei magna, & penē incredibilia miracula: quia descendens instruxerat eos uirtute ac potestate, qua posset nouæ annunciationis ratio fundari & confirmari: sed & futura aperuit illis omnia, quæ Petrus & Paulus Romæ prædicauerūt: & ea prædictio in memoriam scripta permanxit: in qua cum multa alia mira, tum etiam hoc futurum esse dixerūt, ut post breve tempus immitteret deus regem, qui expugnaret Iudeos, & ciuitates eorum solo adæquaret: Ipsos autem famæ, siue confectos consideret: tum fore, ut corporibus suorum uescerentur, & consumerent se inuicem: Postremo, ut capti uenirent in manus hostium: & in cōspectu suo acerbissime coiuges suas uexari cernerent, uiolari ac prostituui uirgines, diripi pueros, allidi paruulos, omnia denique igni ferroque uastari: captiuos in perpetuum terris suis exterminari: eo quod exultauerūt super amantissimum & probatissimum dei filium. Itaque post illorum obitum, quum eos Nero interemisset, Iudeorū gentem & nomē Vespasianus extinxit, fecitque omnia, quæ illi futura prædixerāt.

D Quod argumentis reuincendi sunt, qui diuinis detrahunt sacramentis: & quibus argumentis utantur infideles, ut dominice incarnationis fidem euacuent. Cap. XXII



Onfirmata sunt (ut opinor) quæ falsa & incredibilia putantur ab ijs, quos uera cœlestium literarum doctrina non imbuīt: sed tamen ut refellan- tur à nobis etiam illi, qui nimium nō sine malo suo sapiunt, rebusque diuinis fidem detrahunt, argumentis illorum coarguamus errorem: ut tandem aliquando uideant ita fieri oportuisse, sicut nos ostendimus factū. Et quam apud bonos iudices satiis habeant firmitatis, uel testimonia sine argumentis, uel argumenta sine testimonij: nos tamen non contenti alterutro sumus, quū suppeditet nobis utrumque: ne cui peruerse ingenioso aut non intelligendi, aut contraria differendi locum relinquamus. Negant fieri potuisse, ut naturæ immortalis quicunque decederet. Negant denique deo dignum, ut homo fieri uellet, seque infirmitate carnis oneraret, ut passionibus, ut dolori, ut mortii se ipse subiiceret: quasi nō facile illi esset, ut citra corporis imbecillitatē se hominibus ostenderet, eosque iustitiā doceret: siquidem id t' ualebat maiore autoritate, ut aiunt, professi dei. Tunc enim cunctos fuisse præceptis cœlestibus parituros, si ad ea uirtus ac potestas dei præcipientis accederet. Cur igitur, aiunt, ad docendos homines, non ut deus uenit? Cur se tam humilem imbecillemque cōstituit, ut ab hominibus & cōtemni & poena affici possit: cur uim ab imbecillis & mortalibus passus est: cur non manus hominū aut uirtute repulit, aut diuinitate uitauit: cur non maiestatē suam sub ipsa saltem morte patefecit: sed ut inuaidus in iudicium ductus est, ut nocens damnatus, ut mortalis occisus. Refutabo hæc diligenter, nec quenquam patiar errare. Illa enim magna & mirabili ratione sunt facta: quæ quicunque percepit, nō tantum mirari desinet, deum ab hominibus esse cruciatū, uerum etiā facile peruidebit, ne deum quidem potuisse credi, si ea ipsa quæ arguit, facta non essent.

Quod

A

Quod præceptoris morum uacillat autoritas, si non facit ipse quod docet: sicut in philo-  
sophis patet, qui contra sua præcepta uiuebant: sed Christus pri-  
mo fecit, postea docuit. Cap. XXIII



Vicunq; præcepta dat hominibus ad uitā, moresq; singit aliorū, quæ-  
ro debeat ne ipse facere quæ præcipit, an nō? Si nō fecerit, soluta præ=  
cepta sunt: Si enim bona sunt, quæ præcipiuntur, si uitam hominum in  
optimo statu collocat, nō se debet ipse præceptor à numero cœtuq; ho-  
minum segregare, inter quos habitat ipse: & ipsi eodem modo uiuendum est, quo  
docet esse uiuendum: ne si aliter uixerit, ipse præceptis suis fidem detrahatur, leuio=  
remq; doctrinā suam faciat, si re ipsa resoluat, quod uerbis nitatur astruere. Vnus=  
quisq; enim, quum audit præcipientem, non uult sibi imponi necessitatem paren=di,  
tanquam sibi ius libertatis adimatur: itaq; respondebit doctori hoc modo, Non  
possum facere quæ iubes, quoniā sunt impossibilia: Vetas me irasci, uetas cupere,  
uetas libidine commoueri, uetas dolorem, aut mortem timere: sed hoc adeò con=tra  
naturā est, ut his affectibus animalia uniuersa subiecta sint: uel si adeò putas re=  
pugnari posse naturæ, & tuipse quæ præcipis, fac, ut sciam fieri posse. Quū autem  
ipse non facias, quæ insolentia est, ut homini libero imponere uelis leges, quibus  
ipse non pareas: Prius disce, qui doces: & antequam mores aliorum corrigas, tuos  
corrigere. Quis neget iustum esse hanc respositionem: quinetiam in contemptū ue=  
niat huiusmodi doctor, & eludetur uicissim: quia uidebitur & ipse deludere. Quid  
ergo faciet & ille præceptor, si hæc ei fuerint opposita: quomodo adimet excusa=  
tionem contumacibus, nisi ut præsentibus factis, doceat possibilia se docere: Vn=

B deuenit, ut philosophorum præceptis nullus obtemperet. Homines enim ma= Exempla effi=  
lunt exempla quam uerba: quia loqui facile est, præstare difficile. Utinam quidem catoria sunt, q  
tam multi bene facerent, quam multi loquuntur bene. Sed qui præcipiunt, nec fa=ciora sunt, q  
ciunt, abest ab eis fides. Et si homines fuerint, cōtemnuntur ut leues: si deus, oppo=uerba.  
netur ei fragilitatis humanæ excusatio. Superest ut factis uerba firmetur, quod &  
philosophi facere nequeunt. Itaque quum ipsi præceptores uincantur affectibus,  
quos uinci prædicant oportere, neminem possunt ad uirtutem, quam falso prædi=  
cant, erudire: ob eamq; causam putant neminem adhuc perfectū esse sapientem:  
id est, in quo summæ doctrinæ ac scientiæ summa uirtus, & perfecta iustitia cōsen=serit: quod quidem uerum fuit: Nemo enim post mundum conditum talis extitit,  
nisi Christus: qui & uerbo sapientiā tradidit, & doctrinā præsenti uirtute firmauit.

Quod cœlestem doctorem perfectum esse oporteat, & quare perfectus esse non  
possit sine corporis assumptione mortalis. Cap. XXIIII



Ge nunc consideremus, an doctor è cœlo missus possit non esse perfe=ctus. Nondum de hoc loquor, quem uenisse à deo negant. Fingamus  
è cœlo aliquem esse mittendum, qui uitam hominum rudimentis uirtutis instituat, & ad iustitiam formet. Nemini dubium potest esse, quin is  
doctor qui cœlitus mittitur, tam scientia sit rerum omniū, quam uirtute perfectus:  
ne nihil inter cœlestē terrenumq; differat. Nam in homine interna & propria do=ctrina esse nullo pacto potest. Nec enim mens terrenis uisceribus inclusa, & tabe corporis impedita, aut cōprehendere per se potest, aut capere ueritatē, nisi aliunde doceatur: Et si maxime possit, summā tamen uirtutem capere nequeat, & omni bus uitijs resistere, quorum materia in uisceribus continetur. Eo fit, ut terrenus do=ctor perfectus esse non possit. At uero cœlestis, cui scientiam diuinitas, uirtutē im=mortalitas tribuit, in docendo quoq; sicut in cæteris, perfectus & cōsummatus sit,  
necessè est. At id omnino fieri non potest, nisi mortale corpus assumat; cur autem

C fieri nō possit, ratio clara est. Nam si ad homines ueniat ut deus, ut omittam, quod  
*Cur deus hu-* mortales oculi claritatem maiestatis eius conspicere ac sustinere non possent, ipse  
*manitatem as-* certe deus uirtutem docere non poterit: quia expers corporis non faciet, quae do-  
*sumperit.* cebit: ac per hoc doctrina eius perfecta non erit. Alioqui si uirtus summa est, do-  
 lorem patienter pro iustitia officioꝝ perferre: si uirtus est, mortem ipsam & inten-  
 tam non metuere, & illatam fortiter sustinere: debet ergo doctor ille perfectus,  
 & docere ista præcipiendo, & confirmare faciendo: quia qui dat præcepta uiuen-  
 di, amputare debet omnium excusationū vias, ut imponat hominibus parendi ne-  
 cessitatem: non aliqua uī, sed pudore: & tamen libertatem relinquat, ut & præmū  
 sit constitutum parentibus: quia poterant non parere, si uellent. Quomodo ergo  
 poterit amputari excusatio, nisi ut qui docet, faciat quæ docet, & sit quasi præuius,  
 & manum porrigit securuoro? Quemadmodū potest facere quæ docet, si non sit ei  
 similis quem docet: Nam si nulli subiectus sit passioni, potest ei docenti homo sic  
 respondere: Volo equidem non peccare, sed uincor: induitus sum enim carne fra-  
 gili & imbecilla: hæc est quæ irascitur, quæ concupiscit, quæ dolet, quæ mori ti-  
 met. Itaque ducor inuitus, & pecco nō quia uolo, sed quia cogor. Sentio me etiam  
 ipse peccare, sed necessitas fragilitatis impellit, cui repugnare non possum. Quid  
 ad hæc respōdebit præceptor ille iustitiæ: quomodo refutabit ac redarguet homi-  
 nem, qui delictis suis excusationem carnis ostenderet, nisi & ipse carne fuerit indu-  
 tus, ut ostendat etiam carnem posse capere uirtutem? Cōtumacia enim redargui  
 non potest, nisi exemplo. Nam habere non possunt, quæ doceas, firmitatem, nisi  
 ea prior feceris: quia natura hominū proclivis in uitia, uideri uult non modò cum  
 uenia, sed etiam cum ratione peccare. Oportet & magistrum doctoremꝝ uirtu-  
 tis, homini similiūm fieri: ut uincendo peccatum doceat hominem, uincit ab eo  
 posse peccatum. Si uero sit immortalis, exemplum proponere homini nullo mo-  
 do potest. Existet enim constans aliquis, ac dicet: Tu quidem non peccas, quia li-  
 ber es ab hoc corpore: non concupiscis, quia immortalis nihil est necessarium. Mi-  
 hi uero multis rebus opus est, ut tuear hanc uitam. Mortem non times, quia in te  
 ualere non potest. Dolorem contemnis, quia nullam uim pati potes. At ego mor-  
 talis utrungꝝ timeo, quia cruciatus mihi grauissimos inferunt, quos tolerare insi-  
 mitas carnis nō potest. Doctor itaqꝝ uirtutis etiam hanc excusationē debuit homi-  
 nibus auferre: ne quis quod peccat, necessitatē potius ascribat, quam culpæ sua.  
 Ergo ut perfectus esse possit, nihil ei debet opponi ab eo qui docēdus est: ut si for-  
 te dixerit, impossibilia præcipis: respōdeat, ecce ipse facio: ego carne induitus sum,  
 cuius est peccare proprium: at ego eandem carnem gero, & tamen peccatū in me  
 non dominatur. Mihi opes contemnere difficile est, quia uiui aliter non potest in  
 hoc corpore. Ecce mihi corpus est, & tamen pugno contra omnem uoluptatem.  
 Non possum pro iustitia, nec dolorem ferre, nec mortem, quia fragilis sum. Ecce  
 & in me dolor ac mors habet potestatem: & ea ipsa, quæ times, uinco, ut uictorem  
 te faciam doloris ac mortis. Prior uado per ea, quæ sustineri non posse prætendis:  
 si præcipientē sequi nō potes, sequere antecedentē. Sublata est hoc modo omnis  
 excusatio: & fateri hominem necesse est, sua culpa iniustum esse, qui doctorem uir-  
 tutis, & eundem ducem nō sequaf. Vides ergo quanto perfectior sit mortalis do-  
 ctor, qui dux esse mortali potest, quam immortalis: quia patientiam docere nō po-  
 test, qui subiectus passionibus non est. Nec hoc tamen eō pertinet, ut hominē deo  
 præferam: sed ut ostendam, nec hominē perfecta doctrina esse posse, nisi sit idem  
 deus, ut autoritate cœlesti necessitatē parendi hominibus imponat: nec deum,  
 nisi mortali corpore induatur, ut præcepta sua factis adimplendo, cæteros parendi  
 necessitate

A necessitate cōstringat. Liquidò ergo apparet, eum qui uitæ dux, & iustitiae sit ma-  
gister, corporalem esse oportere: nec aliter fieri posse, ut sit illius plena & perfecta  
doctrina, nisi habeat radicem & fundamentū, stabilisq; apud homines ac fixa per-  
maneat. Ipsū autem subire carnis ac corporis imbecillitatē, uirtutemq; in sere  
cipere doctoris, ut eam simul & uerbis doceat & factis. Item subiectū esse morti &  
passionibus cunctis: quoniam & in passione toleranda, & in morte subeunda, uir-  
tutis officia uersantur: quæ omnia, ut dixi, consummatus doctor perferre debet, ut  
doceat posse perferri.

*Quod Christus licet mortalitatem nostram sumperit, non tamen natus est ut alij ho-  
mines, sed ex carne uirginis: & quare, quem immunis esset à cul-  
pa, sponte subierit poenam. Cap. XXXV*



Iscant igitur homines & intelligent, quare deus summus, quum lega-  
tum ac nuncium suum mitteret, ad erudiendam præceptis iustitiae suæ  
immortalitatē, mortali uoluerit eum carne indui, & cruci affigi, & mor-  
te multari. Nam quum iustitia nulla esset in terra, doctorem misit, qua-  
si uiuam legem, ut nomen ac templum nouum conderet, ut uerū ac piū cultum  
per omnem terram uerbis & exemplo seminaret. Sed tamen ut certum esset à deo  
missum, non ita illum nasci oportuit, sicut homo nascitur ex mortali utroq; concre-  
tus: sed ut appareret illum etiam in homine esse cœlestē, creatus est sine opera ge-  
nitoris. Habebat enim sp̄italem patrem deum, & sicut pater sp̄iritus eius deus si-  
ne matre, ita mater corporis eius uirgo sine patre. Fuit igitur deus & homo, inter  
deum atq; hominem medius cōstitutus: unde illum Græci μετίτλῳ uocant, ut ho-  
minem perducere ad deum posset, id est ad immortalitatē: quia si deus tantū fuīs-  
ser (ut superius dictum est) exempla uirtutis homini præbere non posset: si homo

B tantum, nō posset homines ad iustitiam cogere, nisi autoritas ac uirtus homine ma-  
ior accederet. Etenim quum cōstet homo ex carne & sp̄itu, & oporteat sp̄itum Homo ex car-  
iustitiae op̄erib; emereret ut fiat æternus: caro quia terrena est, ideoq; mortalis, co-  
pulatum sibi sp̄itum trahit secum, & ab immortalitatē ducit ad mortem. Ergo sp̄i-  
ritus carnis expers, dux esse homini ad immortalitatē nullo pacto poterat: quo-  
niam caro impedit sp̄itum, quo minus deum sequatur. Est enim fragilis & subie-  
cta peccato. Peccatum autem pabulum mortis est. Itaq; idcirco mediator aduenit, id  
est deus in carne, ut caro eum sequi posset, & eriperet morti hominē, cuius est † da-  
mnatio in carnem. Ideo carne se induit, ut desiderijs carnis edomitis, doceret, non  
necessitatis esse peccare, sed propositi ac uoluntatis. Vna enim nobis & magna &  
principia cum carne luctatio est: cuius infinitæ cupiditates premunt animam, nec  
deum retinere patiunt: sed eam uoluptatibus & illecebris suauibus mancipatam,  
morte afficiū sempiterna. Quibus ut repugnare possemus, deus nobis uiam supe-  
randæ carnis & aperuit & ostēdit. Quæ uirtus perfecta & omnibus numeris ab-  
soluta, coronā uincētibus, & mercedē expetendæ nobis immortalitatē īpartit.

*De mysterio dominice crucis, & uirtute, & significatione eorū quæ Christus gesit, aut pertulit:*

*Et quomodo præfiguratus sit in immolatione agni legalis. Cap. XXXVI*



Ixi de humanitate, & fragilitate, & passione, cur hæc deus subire ma-  
luerit: nunc ipsius crucis ratio reddenda est, & uis enarrāda: quid sum-  
mus pater à principio disposuerit, & quemadmodum cūcta quæ gesta  
sunt ordinauerit, nō tantum diuinatio prophetarum, quæ in Christum  
uera præcessit, sed etiam ratio ipsius passionis docet. Quacūq; enim passus est, nō  
suerunt inania, sed habuerunt figuram & significationem magnam: sicut etiam di-  
uina illa opera, quæ fecit, quorū uis & potestas ualebat quidē in præsens, sed de-

Clarabat aliud in futurum. Aperuit cæcorum oculos uirtus cœlestis, & lucem non  
significatio mi  
raculorū Chri  
sti.  
uiidentibus reddidit. Et hoc factō significauit fore, ut cōuersus ad gentes, quæ deū  
nesciebant, insipientium pectora illuminaret luce sapientiæ, & ad ueritatem con-  
templandam oculos cordis aperiret. Vere enim cæci sunt, qui cœlestia non uiden-  
tes, & tenebris ignorantia circūfusi, terrena & fragilia uenerantur. Patefecit aures  
surdorum. Non utiq̄ hactenus uis illa cœlestis operata est: sed declarabat breui fo-  
re, ut qui erant ueritatis expertes, & audirent & intelligerent diuinās dei uoces.  
Vere enim surdos dixeris, qui cœlestia, & uera, & facienda nō audiūt. Mutorum  
linguas in eloquium soluit: admirabilis etiā quum fieret potentia: sed inerat huic  
uirtutī alia significatio, quæ ostenderet mox futurum, ut rerū cœlestiū nuper igna-  
ri, percepta sapientiæ disciplina de deo & ueritate differerent. Nam qui rationem  
diuinitatis ignorat, is uere elinguis & mutus est, licet sit omniū disertissimus: Lin-  
gua enim quum uerum loqui cœperit, id est uirtutem maiestatemq̄ dei singularis  
interpretari, tum demum officio naturæ suæ fungitur: quandiu autem falsa loqui-  
tur, in suo usu non est: & ideo infans sit necesse est, qui diuina proloqui nō potest.  
Pedes quoque claudorum ad officiū gradiendi reformauit. Laudabilis diuini ope-  
ris fortitudo: sed figura id cōtinebat, quod cohibitis erroribus uitæ secularis ac de-  
uiae, iter ueritatis aperiretur, per quod graderentur homines ad dei gratiam con-  
sequendam. Is enim uere claudus existimandus est, qui caligine ac tenebris insi-  
pientiæ implicatus, & quō tendat ignarus, offensibilibus & caducis gressibus per-  
uiam mortis incedit. Item labes & maculas inquinatorum corporum repurga-  
uit. Non exigua immortalis potentia opera: uerum id portendebat hæc uis, quod  
peccatorum labib⁹ ac uitorū maculis inquinatos, doctrina eius purificatura esset

D eruditione iustitiae. Leprosi enim atque elephantici debent haberí, quos uel insin-  
tæ cupiditates ad scelera, uel insatiabiles uoluptates ad flagitia compellunt: & de-  
decorum maculis inustos labe afficiunt sempiterna. Iacentia mortuorū corpora  
erexit, eosq; nominib⁹ proprijs inclamatos, à morte reuocauit. Quid congruen-  
tius deo? Quid miraculo digniū omnium seculorum, quām decursam uitam resi-  
gnasse, completisq; hominū temporibus tempora adiecissem⁹ perpetua, arcana mor-  
tis reuelasse? Sed hæc inenarrabilis potestas imago uirtutis maioris fuit: quæ de-  
monstrabat, tantam uim habituram esse doctrinam suam, ut gentes in orbe toto,  
quæ alienæ à deo, subiectæ morti fuerunt, cognitione ueri luminis animatæ, ad im-  
mortalitatis præmia peruenirent. Eos enim recte mortuos existimaueris, qui dato-  
rem uitæ deū nescientes, atq; animas suas à cœlo in terram deprimētes, in laqueos  
æternæ mortis incurront. Quæ igitur tum faciebat in præsens, imagines erant fu-  
turonum: quæ illæsis affectisq; corporibus adhibebat, ea spiritualium figuram ge-  
rebant: ut in præsenti uirtutis nobis terrenæ opera monstraret, & in futurum po-  
testatem suæ cœlestis maiestatis ostenderet. Ergo sicut opera eius significantiam  
quoq; maioris potestatis habuerunt, ita etiam passio nō simplex, nec superuacua,  
nec fortuita præcessit. Sed ut illa quæ fecit, magnā uirtutē ac potestatem doctrinæ

**P**assionis Chri  
sti significatio.  
eius significabant, sic ea quæ passus est, odio futurā esse sapientiā nunciabāt: aceti-  
enim potus ac fellis cibus, acerbitates & amaritudines in hac uita sectatoribus ue-  
ritatis pollicebatur. Et quanquā ipsa per se acerba & amara, specimen nobis futu-  
rorum tormentorum dabat, quæ morantibus nobis in hoc seculo uirtus ipsa pro-  
ponit: tamen illiusmodi cibus & potus in os doctoris nostri ueniens, præssuræ no-  
bis laborum ac miseriarum præbebat exemplum. Quæ omnia tolerari ac perpeti  
necessē est eos, qui ueritatem sequuntur: quoniā ueritas est acerba & inuisa omni-  
bus, qui ueritatis expertes, uitam suam mortiferis uoluptatibus dederūt. Nam co-  
rona

**A** rona spinea capiti eius imposita, id declarabat fore, ut diuinam sibi plebem de nocentibus congregaret. Corona enim dicitur circumstans in orbe populus. Nos aut qui ante cognitione dei fuimus spinæ, id est iniusti, mali & nocentes eramus, ignorantes quid esset bonum, & à iustitiae notione atque operibus alieni, omnia scele re ac libidine polluebamus: plecti uero ex dumis ac sentibus, sanctū dei caput cingimus: quia cōuocati ab ipso, & circumfusi undiq; ad eum, magistro & doctori deo assistimus, regemq; illum mudi, & omnū uiuentium dominū coronamus. Quod uero ad crucem spectat, magna in ea uis ac ratio est, quam nunc conabor ostendere. Deus nanque (sicut superius exposui) quum statuisse hominem liberare, magistrum uirtutis legauit in terram: qui & præceptis salutaribus formaret homines ad innocentiam, & operibus factisq; præsentibus iustitiae uitam panderet: qua gradiens homo, & doctorem suum sequens, ad uitam æternā perueniret. Is igitur coporatus est, & ueste carnis induitus, ut homini, ad quem docendum uenerat, uirtutis & exempla & incitamenta præberet. Sed quum in omnibus uitæ officijs iustitiae specimen præbuisset, ut doloris quoq; patientiam mortisq; cōtemptum, quibus perfecta & consummata sit uirtus, traderet homini, uenit in manus impiæ nationis: quū & uitare potuisset, scientia futuri quam gerebat, & repellere eadem uirtute qua mirabilia faciebat. Sustinuit ergo cruciatus ac uerbera & spinas: postremo etiam mortem suscipere non recusauit, ut homo illo duce subactam & catenam mortem cum suis terroribus triumpharet. Cur autem summus pater id potissimum genus mortis elegerit, quo affici eum sineret, haec ratio est. Dicat enim fortasse alius, cur si deus fuit, & mori uoluit, non saltem aliquo honesto mortis gene re affectus est? Cur potissimum cruce? Cur infamī genere supplicij? quod etiam

**B** homini libero, quamvis nocenti, uideatur indignū. Primum, quod is qui humilis aduenerat, ut humiliis & infirmis opem ferret, & in omnibus spem salutis ostenderet, eo genere afficiendus fuit, quo humiles & infirmi solent, ne quis esset omnino qui eum nō possset imitari. Deinde, ut integrū corpus eius seruaret, quē die tertio resurgere ab inferis oportebat. Nec hoc cuiq; ignorandū est, quod ipse ante de sua passione prædicans, etiam id notū fecerit, habere se potestatē, quū uellet, depo nendi spiritū, & resumendi. Suffixus itaq; quū spiritū sponte depositisset, necessarium carnifices non putauerunt ossa eius suffringere, sicut mos eorū ferebat, sed tantummodo latus eius perforauerunt. Sic integrum corpus patibulo detractū est, & sepulchro diligenter inclusum. Quæ omnia idcirco facta sunt, ne læsum atq; diminutū corpus ad resurgendū inhabile redderetur. Illa quoq; præcipua fuit causa, cur deus crucē maluerit, quod illa exaltari eum fuit necesse, & omnibus gentibus passionē dei notescere. Nam quoniam is qui patibulo suspendit, & cōspicuus est omnibus, & cæteris altior, crux potius electa est, quæ significaret illum tam cōspicuum, tamq; sublimem futurū, ut ad eum cognoscendū pariter & colendū, cūctæ nationes ex omni orbe cōcurrerēt. Deniq; nulla gens tam inhumana est, nulla re gio tam remota, cui aut passio eius, aut sublimitas maiestatis ignota sit. Extendit ergo in passione manus suas orbemq; dimensus est, ut iam tunc ostēderet ab ortu solis usq; ad occasum magnū populū ex omnibus linguis & tribubus cōgregatum sub alas suas esse uenturū, & signū illud maximū atq; sublime, frontib; suis suscep turū. Cuius rei figurā Iudei etiam nunc exhibent, quū limina sua de cruore agni notent. Deus enim percussurus Aegyptios, ut ab ea plaga immunes ficeret Hebræos, præceperat his, ut agnū candidū sine macula immolarēt, ac signū liminibus suis de sanguine eius imponerēt. Itaq; cū Aegyptiorū primogenita una nocte interissent, Hebræi soli signo sanguinis tuti fuerūt, nō quia crux pecudis tantā in se

Qua de causa  
Christus affi  
xus cruci.

Cuius haberet, ut hominibus saluti esset, sed imago fuit rerum futurarū. Nam agnus candidus sine macula Christus fuit, id est innocens, & iustus, & sanctus, qui ab ipsis Iudeis immolatus saluti est omnibus, qui signis sanguinis, id est crucis, qua sanguinem fudit, sua in fronte conscripserunt. Frons enim summum limen est hominis, & limen sanguine delibutum, crucis significatio est. Denique immolatio pecudis ab ipsis ipsis, qui faciunt pascha, nominatur κριστός πάσχει, quia passionis est figura, quam deus praescius futurorum tradidit per Moysen populo suo celebrandam. Sed tamen figura ualuit in praesenti ad depellendū periculum, ut appareat quantū ueritas ipsa ualitura sit ad plebē dei protegendā in extrema totius orbis necessitate. Quomodo autem, uel in qua plaga tutti homines sint futuri, q̄ signū hoc ueri & diuini sanguinis in summo corporis sui notauerūt, in nouissimo libro docebo.

*De potentia signi crucis: quantæ efficacie fit invocatio nominis crucifixi: & quantum à demoniis timeatur signum crucis.* Cap. XXVII



Vnc satis est me de huius signi potētia, quantū ualeat exponere: quanto terrori sit dæmonibus hoc signum, sciet qui uiderit quatenus adiurati per Christū de corporibus quæ obfederint, fugiant. Nam sicut ipse quū inter homines ageret, uniuersos dæmonas uerbo fugabat, hominumq; mentes emotas, & malis incuribus furiantas, in sensus pristinos reponebat: ita nunc sectatores eius eosdem spiritus inquinatos de hominibus, & nomine magistris sui, & signo passionis excludunt. Cuius rei non difficilis est probatio. Nam quum dijs suis immolant, si afflstat aliquis signatā frontem gerens, sacra nullo modo litant, Nec responsa potest consultus reddere uates. Et hæc sāpe causa præcipua iustitiam persequendī malis regibus fuit. Quum enim quidam nostrorū sacrificantibus dominis afflsterent, imposito frontibus signo, deos eoru fugatierunt, ne possent in uisceribus hostiarū futura depingere. Quod quum inteligerent aruspices, instigantibus ipsisdem dæmonibus quibus proscrutarunt, conquerentes profanos homines faciō interessē, adegerunt príncipes suos in furorem, ut expugnarent dei templum, secp̄ uero sacrilegio cōtaminarent, quod grauissimis persequentiū pœnis expiatetur. Nec tamen ex hoc ipso cæci homines intelligere possunt, aut hanc esse ueram religionem, cui ad uinceendum tanta uis inest: aut illam falsam, quæ subsistere, aut congregari non potest. Sed aiunt, hoc deos non metu, uerū odio facere, quasi quisquam possit odisse nisi eum, qui aut noceat, aut possit nocere: immo uero congruens maiestati fuit, ut eos quos oderant, præsentibus pœnis afficerent potius, quam fugerent. Sed quoniam neq; accedere ad eos possunt, in quibus cœlestem notam uiderint, nec ipsis nocere, quios signum immortale munierit tanquam inexpugnabilis murus, lacescant eos per homines, & manibus persequuntur alii, quos profectò si esse cōfidentur, uicimus. Necesse est enim hanē esse ueram religionem, quæ & rationem dæmonū nouit, & astutiam intelligit, & uim retundit: & eos spiritualibus armis domitos ac subactos, cedere sibi cogit. Si negant, testimoniis poëtarū ac philosophorū refellent. Quod si & malos esse inficiās nō cūnt, qđ superest, nisi ut alios dicant esse deos, alios dæmones. Exponant igitur nobis differentiā generis utriuscq; ut sciamus quid colendum, quid execrandū sit. Habent ne inter se aliquod consortium, an uero inimici sunt? Si sunt aliqua necessitudine copulati, quatenus eos discernemus? Aut quomodo utriuscq; generis honorem cultumq; miscebimus? Si autem sunt inimici, aut dæmones deos nō timent, aut dñi dæmones fugare nō possunt. Ecce aliquis instinctu dæmonis percitus, demētia effetur, insanit: ducamus istum in Iouis optimi maximi templum: uel quia sanare homines Jupiter nescit, in Aesculapij, uel Apollinis fanū, iubeat utriuslibet sacerdos dei

D  
Quæ causa  
principes in  
Christianos  
excitanterit.

A deis sui nomine, ut nōcens ille sp̄ritus excedat ex homīne: nullo id pacto sieri potest. Quæ igitur deorū uis est, si subectos sibi dæmones nō habent? At uero ijdem dæmones adiurati per nomē ueri dei, protinus fugiunt. Quæ ratio est, ut Christū timeāt, louem autē nō timeant: nisi quod ijdem sunt dæmones, quos uulgas deos esse opināt? Deniqz si cōstituatur in medio & is, quem constat incursum dæmonis perpeti, & Delphici Apollinis uates, eodē modo dei nomen horrebunt: & tam ce Apollo Delphicus. leriter excedet de suo uate Apollo, quām ex homine sp̄ritus ille dæmoniacus: & phicus. adiurato fugatoqz deo suo, uates in perpetuum cōticet. Ergo ijdem sunt dæmones, quos fatentur execrandos esse: ijdem dī quibus supplicant. Si nobis credendum esse non putant, credant Homero, qui summū illum louem dæmonibus aggregauit: sed & alijs poëtis ac philosophis, qui eosdē modō dæmonas, modō deos nuncupant: quorum alterum uerum, alterum falsum est. Illi enim nequissimi sp̄ritus ubi adiurantur, ibi se dæmonas confitentur: ubi coluntur, ibi se deos mentiuntur: ut errores hominibus immittant, & auocent à ueri dei notione, per quam solam potest mors æterna uitari. Idem sunt qui deīciendi hominiis causa, uarios sibi cultus peruersa religione condiderunt, mentitis tantū, assumptisqz nominiis, ut fallerent. Nam quia diuinitatem per seipso affectare nō poterant, ascuerunt sibi nomina potentium regum, sub quorum titulis honores sibi deorū uendicarent. Qui error discuti potest, & in luce ueritatis protrahi. Nam si quis studet altius inquirere, congreget eos, quibus peritia est ciere ab inferis animas. Euocent louem, Neptunum, Vulcanum, Mercurium, Apollinem, patremqz omnium Saturnum. Respondebunt ab inferis omnes, & interrogati loquentur, & de se & de deo fatebuntur. Post hæc euocent Christum: non aderit, non apparebit, quia nō amplius quām bīduo apud inferos fuit. Quid hac probatione certius proferri potest? Ego uero nō dubito quin ad ueritatē Trismegistus hanc aliqua ratione peruerterit, qui de deo patre omnia & de filio locutus est multa, quæ diuinis cōtinentur arcanis.

De uera & singulari religione, & unde dicatur religio, uel secundum

Ciceronem, uel alios. Cap. XXVIII

**Q**uæ quū ita se habeant, ut ostendimus, apparet nullam aliam spem uitæ homini esse propositam, nisi ut abiectis uanitatibus, & errore miserabili, deum cognoscat, & deo seruat: nisi huic temporali renūciet uitæ, ac se rudimentis iustitiae ad cultū ueræ religionis instituat. Hac enim conditione gignimur, ut generati nos deo iusta & debita obsequia præbeamus, hunc solū nouerimus, hunc sequamur. Hoc uinculo pietatis obstricti deo, & religati sumus. Vnde ipsa religio nomen accepit, nō ut Cicero interpretatus est, à relegēdo, qui in libro de natura deorum secūdo dicit ita: Nō enim philosophi solum, uerum etiā maiores nostri superstitionē à religione separauerūt. Nam qui totos dies precabant & immolabāt, ut sui sibi filij superstites essent, superstitioni sunt appellati. Inter religionē Qui autem omnia, quae ad cultum deorū pertinerent, retractarent, & tanqz relege & superstitionē, iī dīcti sunt religiosi ex relegendo: tanqz ex eligendo eligentes, & ex deligen do diligentes, & ex intelligendo intelligentes. His enim omnibus inest uis legendi eadem, quæ in religioso: Ita factū est in superstitione ac religioso, alterū uitij nomen, alterū laudis. Hæc interpretatio quām inepta sit, ex re ipsa licet cognoscere. Nam si in ijsdem dijs colendis & religio & superstitione uersatur, exigua, uel potius nulla distantia est. Quid enim mihi afferit causæ, cur precari pro salute filiorū semel religiosi, & idem decies facere, superstitioni esse hominis arbitretur? Si enim semel facere optimum est, quanto magis sāpius? Si hora prima, ergo & tota die. Si una hostia placabilis, placabiliores utique hostiæ plurimæ: quia multiplicata obsequia

C merentur potius quam offendunt. Non enim nobis odiosi uidentur iij famuli, qui assidui ac frequentes ad obsequium fuerint, sed magis chari. Cur igitur sit in culpa & nomen reprehensibile accipiat, qui aut filios suos magis diligit, aut deos satis honorat, laudetur autem qui minus? Quod argumentum etiam est contrario ualet. Si enim totos dies precari & immolare criminis est, ergo & semel. Si superstites filios subinde optare uitiosum est, superstitosus est igitur ille, qui raro id optauerit. Aut cur uitij nomen sit ex eo tractum, quo nihil honestius, nihil iustius optari potest? Nam quod ait religiosos a religendo appellatos, qui ea retractent diligenter, quae ad cultum deorum pertineant: cur illi, qui hoc saepe in die faciunt, religiosorum nomen amittant: quiū multo utiq̄ diligentius ex assiduitate ipsa religat ea, quibus dij coluntur? Quid ergo est? Nimirū religio ueri cultus, superstitione falsi. Et omnino quid colas interest, non quemadmodum colas, aut quid preceris: sed quia religiosos deorum cultores se putant, quum sint superstitionis, nec religionem possunt a superstitione discernere, nec significantiam nominum exprimere. Diximus nomen religionis a uinculo pietatis esse deductū, quod hominem sibi deus religarit, & pietate constrinxerit: quia nos seruire ei ut domino, & obsequi ut patri necessitate est. Eo melius ergo id nomen Lucretius interpretatus est: qui ait, religionum se

*Superstitioni* nodos exoluere. Superstitioni autē uocantur, nō qui filios suos superstites optant, qui dicantur. omnes enim optamus: sed aut iij, qui superstitem memoriam defunctorū colunt: aut qui parentibus suis superstitionibus colebant imagines eorū domi tanquam deos penates. Nam qui nouos sibi ritus assumebāt, ut in deorum uicem mortuos honorearent, quos ex hominibus in cœlum receptos putabant, hos superstitionis uocabant. Eos uero, qui publicos & antiquos deos colerent, religiosos nominabāt. Vn D de Virgilius: *Vana superstitione, ueterumq; ignara deorum.*

Sed quum ueteres quoque deos inueniamus eodem modo consecratos esse post obitum, superstitioni ergo qui multos ac falsos deos colunt: Nos autem religiosi, qui unū & uero deo supplicamus.

*De unitate patris & filij, ut liqueat quomodo unius dei possunt esse cultores, qui duos colunt, alterum patrem, alterum filium: patrem immortalem, filium mortalem, de quo superius dictum est.* Cap. XXIX

 Ortasse quererat aliquis, quomodo, quum deum unum nos colere dicimus, duos tamen asseueremus, deum patrem, & deum filium: quae asseueratio plerοc; in maximum impegit errorem. Quibus quum probabilia uideantur esse, quae dicimus, in hoc uno labare nos arbitrantur, quod & alterum, & mortalem deum fateamur. De mortalitate iam diximus, nunc de unitate doceamus. Quiū dicimus deum patrem, & deum filium, non diuersum dicimus, nec utrūq; secernimus: quia nec pater sine filio esse potest, nec filius a patre secerni: siquidē nec pater sine filio nuncupari, nec filius potest sine patre generari. Quiū igitur & pater filium faciat, & filius patrem, una utriq; mens, unus spiritus, una substantia est: sed ille quasi exuberans fons est, hic tanq; defluens ex eo riuus: ille tanquam sol, hic tanq; radius ex sole porrectus: qui quoniā summo patri & fidelis & charus est, nō separat, sicut nec riuus a fonte, nec radius a sole: quia & aqua fontis in riuo est, & solis lumen in radio æque. Necq; uox ab ore seiungi, nec uirtus, aut manus a corpore diuelli potest. Quiū igitur a prophetis idem manus dei, & uirtus, & sermo dicatur, utique nulla discretio est: quia & lingua sermonis ministra est, & manus, in qua est uirtus, indiuiduae sunt corporis portiones. Propiore exemplo ut liber: Quum quis habet filium, quem unice diligit, qui tamen sit in domo, & manus patris, licet ei nomen domini, potestateq; cōcedat, ciuili tamen iure & domus una,

& unus

A & unus dominus nominatur. Sic hic mundus una dei domus: & filius & pater, qui unanimis incolunt medium, deus unus: quia & unus est tanquam duo, & duo tanquam unus. Neque id mirum, quum & filius sit in patre, quia pater diligit filium, & pater in filio: quia uoluntati patris fideliter paret, nec unquam faciat aut fecerit, nisi quod pater aut uoluit aut iussit. Denique unum deum esse tam patrem quam filium, Esaias in illo exemplo, quod superius posuimus, ostendit, quoniam diceret: Adorabit te, & in te precabuntur, quoniam in te deus est, & non est alius deus praeter te. Sed & alio loco similiter ait: Sic dicit dominus deus rex Israël, & qui eruit eum deus aeternus: ego primus, & ego nouissimus, & praeter me nemo est deus. Quoniam duas personas proposuisset, dei regis, id est Christi, & dei patris, qui eum post passionem ab inferis excitauit. Sic ostendisse diximus Oream prophetam, qui ait: Et de manu inferiorum eruam eum. Tamen ad utramque personam referens intulit: Et praeter me non est deus: quum posset dicere, praeter nos: sed fas non erat plurali numero separatione tantae necessitudinis fieri. Unus est enim solus, liber deus, summus, carens origine: quia ipse est origo rerum, & in eo simul & filius & omnia continentur. Quapropter quum mens & uoluntas alterius in altero sit, uel potius in utroque una, merito unus deus uterque appellatur: quia quicquid est in patre, ad filium transfluit: & quicquid in filio, a patre descendit. Non potest igitur ille summus ac singularis deus, nisi per filium colitur: qui solum patrem se colere putat, sicut filium non colit, ita nec patrem quidem colit: qui autem filium suscipit, & nomen eius gerit, is ueretur cum filio simul & patre colitur: quoniam legatus, & nuncius, & sacerdos summi patris est filius. Hic templi maximae ianua est, hic lucis uia, hic dux salutis, hic ostium uitae.

B De heresibus, quas non modo prophetae, sed etiam Christus & apostoli predixerunt emersuras esse, & uitandas: Et quod illa sola ecclesia catholica est & uera, in qua est confessio, & medicina peccatorum per penitentiam, & fiduci sacramenta. Cap. XXX



Ed quoniam multae hereses extiterunt, & instinctibus demonum populus dei scissus est, determinanda est nobis breuiter ueritas, ac in suo proprio domicilio collocanda: ut si quis aquam uitae cupit haurire, non ad detritos lacus defera, qui non habent uenam: sed uberrimum dei fontem nouerit, quo irrigatus perenni luce potiet. Ante omnia scire nos conuenit, & ipsum, & legatos eius predixisse, quod plurimae sectae & hereses haberent existere, quae concordia sancti corporis rumperent: ac monuisse ut summa prudentia caueremus, ne quando in laqueos & fraudes illius aduersarij nostri, cum quo luctari deus nos uoluit, incideremus. Tum dedisse certa mandata, quae in perpetuum custodi dire deberemus. Quorum plerique immemores, deserto itinere coelesti, uias sibi deuias per anfractus & precipitia considerunt: per quam partem plebem incautam & simplicem ad tenebras mortemque deducerent: Quod quatenus acciderit, exponam. Fuerunt quidam nostrorum, uel minus stabilita fide, uel minus docti, uel minus cauti, qui origo dissidiū facerent unitatis, & ecclesiā dissiparent. Sed hi, quorum fides lubrica fuit, quoniam deum nosse se, & colere simularent, augēdis opibus & honori studentes, affectabant maximum sacerdotium: & a posterioribus uicti secedere se cum suffragatoribus suis maluerunt, quam eos facere prepositos, quibus concupierant ipsi ante preponi. Quidam uero non satis coelestibus literis eruditii, quum ueritatis accusatoribus respondere non possent, obijcientibus uel impossibile, uel incongruens esse, ut deus in uterum se mulieris includeret, nec coelestem illam maiestatem ad tantam infirmitatem potuisse deduci, ut hominibus contemptui, derisu, contumeliae, & ludibrio esset: postremo etiam cruciamēta perferret, atque execrabilis patibulo figeret: quae omnia quum neque ingenio, nec doctrina defendere ac refutare possent (nec enim uim ra-